F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

AD

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia

EPISTOLAE.



ROMAE, MDCCLIII.

Apud Haeredes Jo: LAURENTII BARBIELLINI,

SUPERIORUM FACULTATE.

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sac. Theol. Professor, ac totius Ord. FF. Praed. humilis Mag. Generalis, & Servus.

HArum serie, Nostrique auctoritate Officii, quantum in Nobis est, facultatem concedimus A. R. P Magistro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Nostrae Romanae Cathedratico Casanatensi typis edendi opus ab ipso elaboratum, cui titulus: *Ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, & diligentia Epistolae*. Dummodo a duobus RR. PP. Nostri Ordinis Sacrae Theologiae Professoribus praelo dignum judicetur, & serventur cetera de iure servanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Nostro S. M. S. M. die 15. mensis Septemb. 1753.

Fr. Antoninus Bremond
Magister Ordinis.

Reg. pag.4.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta
Mag. & Socius.

APPROBATIONES.

JUssu Reverendissimi Patris Fr. Antonini Bremond totius Ordinis Praedicatorum Magistri Generalis legimus Librum, cui titulus est: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Casanatensis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, & diligentia Epistolae*. In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, bonisque moribus adversetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae supra Minervam die 17. Septembris 1753.

Fr. Johannes Dominicus Villavecchia Ord. Praed. Magister, & Socius.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Magister Studentium.

DE mandato Reverendiss. Patris Josephi Augustini Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistri attente legi Librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Casanatensis Ord. Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum, de Danielis Concinae in indicandis describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret, quan-

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 16. Septembris 1753.

D. Gabriel Maria de Blaſi Prior Congregationis Caſinenſis, Sacrae Theologiae Lector, ac Congregationis Sacrorum Rituum Conſultor.

J. M. J.

JUſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*, in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 16. Septembris 1753.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Palatii Apost.

F. M. de Rubeis Patriarch. Constant. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiss. Patris Magist. Sac. Pal. Apost. Soc. Ord. Praed.

EPI-

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

I. 
Git Dinellius in hac epistola de Amico, Arriaga, Azorio, Baunio, & Bussembau. *Itaque scribit instituere jam se Nocetii librum ordine confutare, secuturumque se auctorum seriem, non quam Noccius secutus est, sed qua usus est in libri indice.* II. *Queritur, Concinae de male ab Viva excusato Amico locum non integre fuisse a Nocetio descriptum.* III. *Integrum eum locum affert Dinellius, simulque demonstrat, quae ab Nocetio praetermissa sunt, gravia esse, magnique momenti ad Concinae fidem, Amici autem, & Vivae errores dignoscendos.* IV. *Amici declarationem, ad quam Noctius confugit, ab Antuerpiensi Operum Amici editione abesse docet.* V. *Refellit, quod Sotuellus scribit, editionem Amici Antuerpiensem ad Sac. Inquisitionis Romanae praescriptum fuisse emendatam.* VI. *Amicum ejusdem declarationis, quae antea in Duacensi editione erat, poenituisse, eamque postea ab Antuerpiensi sustulisse ostendit. Itaque omnem esse culpam Amici, non Concinae, qui sit Antverpiensi editione usus.* VII. *Quamquam ex declaratione nihil Amico proficiatur, qui consentientes quidem sibi auctores optavit, pravae tamen sententiae omnino adhaesit, scriptoresque duos non magnae auctoritatis Ecclesiae Doctori-*

 bus,

bus, virisque gravissimis antepo∫uit. VIII. *Quin immo suam Amicus opinionem ab Lovaniensi Academia repudiatam, conquisitis summa contentione fautoribus, pugnacissime defendere studuit.* IX. *Quamobrem omissae declarationis injuria Concinam a Nocetio accusari.* X. *Maxime quod Concina obiter, non data opera, de Vivae excusatione egit.* XI. *Ait Dinellius de Dominicanis, quos nominat Nocetius, non se laborare: mirabile autem esse, appellari a Nocetio Dominicanos Auctores, qui cum Amico senserint, cum in declaratione ipse Amicus nullos se habere profiteatur.* XII. *De Arriaga agens Dinellius queritur, Nocetium, praetermisso La-Croixio, Concinae invidiam conflasse.* XIII. *Concinae locum adfert, eumque ostendit a Nocetio non integre fuisse descriptum.* XIV. *Tum illud demonstrat, injuria Concinam a Nocetio reprehendi.* XV. *Quam enim* laxam, *absurdamque sententiam de conditione poenitentiae Sacramento adjungenda ex La-Croixio attulit Concina, in ea prorsus non La-Croixium modo, sed etiam Boscum fuisse versatum.* XVI. *Esse autem ineptam Nocetii accusationem de* impostura, *ubi locus* imposturae *est nullus: maxime quod La-Croixium praetermiserit.* XVII. *Primae* imposturae *similem esse alteram docet, quam Nocetius opponit, eamque refellit.* XVIII. *Pergit autem & Castropalaum ac Gobatum merito accusatos ab Concina, perperam a Nocetio excusari demonstrat.* XIX. *Nam inanem omnino laudatae diligentiae excusationem esse, quando ipsa Auctoris doctrina, si probetur, magnam adfert negligentiam.* XX. *Denique Nocetium hortatur, ut animum ad suos ipse Casuistas emendandos conferat, qui Theologorum au-*


cto-

ctoritate abutuntur, *idque confirmat exemplo Castropalai*. XXI. *Ad Azorium pergit Dinellius*: *qua in re demonstrat*, *Nocetium*, *sublatis e Concinae loco ceteris auctoribus*, *paucos reliquisse*, *quos se defendere posse putaret*, *accusandique occasionem*, *non oblatam arripuisse*, *sed suo sibi ingenio composuisse*. XXII. *Queritur Dinellius Concinae vitio dari*, *quod nemo unquam Salmanticensibus exprobravit*: *Tum Concinae diligentia quanta fuerit in Christiana Theologia scribenda*, *ostendit*. XXIII. *Monet Nocetium*, *genus illud accusationis de non lectis auctoribus*, *cum sit jam saepe dissolutum*, *posthac Concinae ne obtrudat*. XXIV. *Agit de Baunio*. *Hunc ait integre a Concina fuisse laudatum*. *Nam quod ait Concina*, invexisse *eum opinionem in Theologiam &c. non significare primum omnium fuisse Baunium ejus opinionis auctorem*. XXV. *Sed Nocetium*, *qui Canonistas Baunio Theologo antiquiores laudet*, *nihil efficere*, *quo* imposturae *arguat Concinam*. *Quamquam ne laudatis quidem Theologis effecisset*. XXVI. *Falli autem Nocetium*, *qui Jesuitas a Concina dolo malo citari*, *praeteriri autem Dominicanos queritur*, *quum Concina hoc eodem loco Sotum Dominicanum* laxae *de Ecclesiasticis redditibus opinionis* primum fere omnium *auctorem aperte appellet*. XXVII. *Postremo eamdem opinionem merito dici* laxissimam *a Concina*, *Dianae auctoritate*; *Solutum autem ab eodem Concina recte esse argumentum ex Pontificum dispensatione petitum*, *Gregorii X.*, *& Bonifacii VIII. PP.MM. testimoniis evincit*. XXVIII. *Rursus de Baunio agit*; *eique nullam a Concina injuriam fieri demonstrat*. XXIX. *Baunium enim*, *quo loco a Concina est modeste reprehensus*, *non de*

pro-

promiſſorio, *ut contendit Nocetius, ſed omnino de* aſſertorio *juramento locutum videri.* XXX. *Aliam Nocetii accuſationem diſsolvit: oſtenditque, eidem Baunio jure a Concina vitio eſse datum, quod proſcriptam de pluribus* Miſſae *partibus ſimul audiendis ſententiam ut probabilem jactarit.* XXXI. *Addit, ceteros Caſuiſtas, quorum fuit proſcripta opinio, eodem, quo Baunius, modo, fuiſse locutos; eamque opinionem ipſam Baunio a Leandro etiam attribui.* XXXII. *Pergit ad Buſembaum Dinellius; & Concinam* vitio perſpicillorum, *quod Nocetius dixerat, erraſse concedit.* XXXIII. *Reſpondet Nocetii querelis de commemorato a Concina Cornelii a Lapide in eadem re errore; quidque inter veterum Patrum, & Caſuiſtarum errata interſit, docet.* XXXIV. *Tum illud confutat, quod Concinae exprobravit Nocetius, cognoviſse eum de* laxa *Cornelii opinione ex Henrico a Sancto Ignatio.* XXXV. *Alias Nocetii querelas de excuſatis a Concina Soto, aliiſque Dominicanis, qui in eadem, ac Jeſuitae, eſsent cauſsa, perſequitur, & refellit.* XXXVI. *Euſebii Eraniſtes epiſtolas nuper editas ut legat, Nocetium Dinellius monet. De Romana vero* Veritatis vindicatae *editione, eique adjecta confutatione primae Dinellianae epiſtolae dicturum pollicetur se, cum primum, reliquis ſcriptis epiſtolis, inſtituta perfecerit. Denique pauca de ſua hac reſponſione addit, finemque ſecundae hujus epiſtolae ſcribendae facit.*

FR. VIN-



FR. VINCENTIUS MARIA
DINELLIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM

CAROLO NOCETIO
SOCIETATIS JESU

S. P. D.



Uod tibi promiseram, me de singulis Casuistis, quorum famam ab Auctore *Christianae Theologiae* quereris fuisse diminutam, diligenter acturum, & quae ad eorum quemque pertinent, non ordine, quo abs te vindicantur sed eo, quo in Indice *pag.* 11., &, 12. libelli tui numerantur, accurate conside-

ſideraturum, ut liberem fidem meam, id novis ad te litteris facere aggredior.

Nam ſi quaeras, cur ſic agere, neque ordinem accuſationis tuae in mea defenſione retinere maluerim, illud eſt primum, quod reſpondeam: mihi liberum eſſe, quam velim, & maxime probem, ſcribendi rationem ſequi. Deinde te mihi ſequendum non propoſuiſſe, ut omnem confuſionem omnino vitarem; neve de eodem Caſuiſta quinquies, aut ſepties, ſaepe decies, aut undecies ſejunctim, & abſque ulla rerum colligatione, quemadmodum abs te factum eſt, ſermonem inſtituerem. Itaque ne plus quam ſemel eſſet mihi de unoquoque Caſuiſta diſſerendum, utque rebus ordinem aliquem, conjunctionemque, quam ex ſe ipſis non habent, conciliarem, quae cujuſque ſunt Caſuiſtae, una colligere, & uno tempore expendere conſtitui. Quae res nullam tibi debet afferre ſuſpicionem, quaſi nolim, vel nequeam de omnibus, quae Concinae opponis, tibi reſpondere. Nam ſic tibi recipio, me non commiſſurum, ut queri merito poſſis, quidquam a me fuiſſe praetermiſſum.

Deni

Denique, si quid forte praetermisero, nihil impediet, quo minus tuis me litteris admoneas, quidpiam superesse, de quo velis a me tibi satisfieri.

II. Itaque venio ad Amicum, quem Cap. XXXVI. tui Libelli licet defensorem fuisse non neges propositionis damnatae ab Alexandro VII.: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si Calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur*: illud tamen ferre non potes, negari a Concina, ita Amicum, ut a Viva factum est, posse excusari. Recita Concinae locum. „ Hanc „ propositionem docuit P. Franciscus „ Amicus disp. 36. de Just. n. 118. P. Dominicus Viva in sua Trutina ad hanc „ 17. propositionem contendit P. Amicum disputationis gratia propugnasse „ hanc sententiam... At quo nam quaeso principio id asserit P. Viva, cum „ hoc

De Amico.

„ hoc non indicet P. Amicus, qui ab-
„ solute; nullaque declaratione adjecta,
„ hanc sanguinariam doctrinam in lucem
„ publicis typis evulgavit?... Hinc col-
„ ligat Lector, quanti facienda sint inter-
„ pretamenta P. Viva. Probabilistarum
„ nonnulli laxa commenta evulgant, opi-
„ niones erroneas typis edunt, quae Le-
„ ctorum mentes, & animas inquinant.
„ Cum autem ad Evangelicae doctrinae
„ Tribunal revocantur, tum clamant, aut
„ non esse sincere excerptas, aut alio in
„ sensu, aut disputationis gratia proposi-
„ tas fuisse.

Sed hunc locum ita Tu quidem descripsisti, ut multa ad rem explicandam opportuna praeterires, imprimisque Amici verba, ex quibus omnis controversia definienda est, lectoribus occultares. Quod eo magis miror, quod immemor sententiae Tullianae: *Non modo accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur*; hoc maxime loco malae fidei in referendis Jesuitarum sententiis Concinam accusare non vereare.

Nam post ejus locum diminute, ut dixi,

dixi, descriptum: „ Si credimus, *inquis*,
„ P.Concinae sincerissime Jesuitarum sen-
„ tentias referenti, P. Amicus non pro-
„ posuit eam opinionem *disputationis gra-*
„ *tia*: P. Viva *nullo principio* id asseruit:
„ P. Amicus id *non indicat*: P. Amicus
„ *nulla declaratione adjecta* sanguinariam
„ doctrinam in lucem edidit „.

III. Sed recita rursus Concinae locum integrum, neque ullis punctis interjectis diminutum. Nam ita fiet, ut quae Concinae in referendis Jesuitarum opinionibus sit fides, atque integritas, perspicue sane intelligas, & eum desinas tot querelis insectari. Hanc
„ propositionem, *inquit Tom. IV. pag.* 310.
„ docuit P. Franciscus Amicus disp. XXXVI
„ de Just. num. 118. P. Dominicus Viva in
„ sua Trutina in hanc 17. *Prop.* contendit,
„ P. Amicum disputationis gratia propu-
„ gnasse hanc sententiam, quam attribuit
„ idem P. Viva Sancio, Navarro, Cara-
„ mueli, & Sayro. Audistin? Disputa-
„ tionis gratia homicidia licita propugnan-
„ tur? Typis eduntur ejusmodi dogmata?
„ At quo nam, quaeso, principio id as-
„ serit P. Viva; cum hoc non indicet P.
„ Amicus, qui absolute, nullaque decla-
„ ratione adjecta, hanc sanguinariam do-
„ ctri-

„ ctrinam in lucem publicis typis evulga-
„ vit? Si interpretatio P. Viva consiste-
„ ret, quisque promulgans errores, &
„ haereses excusare se posset dicendo, se
„ disputationis gratia eas evulgasse. Do-
„ ctrinam hanc P. Amici primus omnium
„ excogitavit Caiphas, dum dixit: *Ex-*
„ *pedit, ut unus moriatur*. Hoc *expedit* tam
„ amplam continet significationem, ut
„ aptari cuique fere negotio ab improbis
„ possit. Expedit ut moriatur, qui laxis
„ opinionibus bellum indicit: quia illa-
„ rum Auctoribus damnum infert, quia
„ splendorem alicujus Communitatis ob-
„ scurare imperitis videtur. An non expe-
„ dit, ut Persona privata immoletur, ne
„ Communitati infamiae labes adsperga-
„ tur? Caeterum, ut, quam arbitraria, &
„ omnino falsa sit interpretatio P. Viva,
„ appareat, ob oculos reducamus proposi-
„ tionem P. Francisci Amici supra tran-
„ scriptam: *Negari non potest, quin saltem*
„ *honorem, famamque illam, quae ex vir-*
„ *tute, & sapientia nascitur, quique ve-*
„ *rus honor est, juste defendere Clerici,*
„ *& Religiosi valeant, ac saepe debeant,*
„ *cum hic sit proprius professionis ipso-*
„ *rum, quem si amittant, maximum*
„ *bo-*

„ *bonum amittunt. Nam per hunc red-*
„ *duntur summopere aestimabiles, & con-*
„ *spicui Secularibus, quos sua virtute*
„ *dirigere, ac juvare possunt: quo subla-*
„ *to, nec illos dirigere, nec juvare po-*
„ *terunt. Ergo saltem hunc honorem po-*
„ *terunt Clerici cum moderamine incul-*
„ *patae tutelae* etiam cum morte invaso-
„ ris *defendere. Quin interdum lege sal-*
„ *tem charitatis videntur ad illum defen-*
„ *dendum teneri, si ex violatione pro-*
„ *priae famae integra Religio infametur.*
„ Haec ne disputationis gratia dicta sunt?
„ Quid quod Tomus P. Amici, in quo
„ haec doctrina continetur, damnatus a
„ a S. Congregatione Indicis est? Hinc
„ colligat lector, quanti sint facienda in-
„ terpretamenta P. Viva. Probabilista-
„ rum nonnulli laxa commenta evul-
„ gant, opiniones errόneas typis edunt,
„ quae lectorum mentes, & animas in-
„ quinant. Cum autem ad evangelicae
„ doctrinae tribunal revocantur, tum
„ clamant, aut non esse sincere excer-
„ ptas, aut alio in sensu, aut disputa-
„ tionis gratia propositas fuisse. „ Ha-
ctenus ille.

Quae si integre, ut par erat, de-
B scrip-

scripsisses, facile lectores intellexissent, nullam tibi fuisse caussam dolendi de Auctore *Christianae Theologiae*; multo autem minus Amicum, & Vivam defendendi, qui sane ita scripserunt, ut a nemine excusari possint. Nam neque Amicus ita disserit, ut eam opinionem *disputandi caussa* proponere videatur; neque ratio ulla erat, cur eum Viva hoc modo excusari posse arbitraretur. Ecquis enim rem novam, & inauditam proponens, si timide, & solum *caussa disputandi* ageret, hoc initium dicendi caperet: *Negari non potest*; & sine ullis ambagibus, quid sibi verum videretur, definite pronunciaret? Quum autem hoc modo disputet Amicus, ut ex loco ipsius, quem descripsi, satis intelligitur; a te caussam expecto, cur recte a Viva, qui eum *disputandi gratia* locutum esse contendit, putes fuisse defensum. Ego hujus defensionis non aliam caussam video, nisi ut Amicum tegeret, suaeque *Trutinae* lectoribus persuaderet, damnatam propositionem ex homine Probabilista non esse profectam. Nam certe ex Amico nihil protulit, aut proferre potuit, quo eum dubitanter, & in utramque partem di-

spu-

ſputando de hujuſmodi quaeſtione diſſeruiſſe confirmaret.

IV. Hoc eſt tamen, quod te vehementer offendit, Concinamque propterea acriter objurgas, quod Amicum in hac quaeſtione tractanda aſſenſionem ab eo genere opinionis cohibuiſſe negarit. „ Audiatur, *inquis*, P. Amicus, qui „ poſtquam propoſuit momenta ratio- „ num pro damnata poſtea illa opinione, „ dictum numerum 118. ita concludit. „ *Verum, quia haec apud alios ſcripta non* „ *legi, nolo ita ſint dicta, ut communi* „ *ſententiae adverſentur: ſed ſolum di-* „ *ſputandi gratia, maturo judicio relicto* „ *apud prudentem lectorem*.

Haerebam cum legerem hanc Amici *Declarationem*: neque primo quid rei eſſet ſatis intelligebam. Equidem videbam, poſſe me tibi reſpondere, ſatius eſſe Theologos ejuſmodi quaeſtiones omnino relinquere, quam poſt traditum, argumentiſque confirmatum errorem, pedem tantiſper referre, idque in animo habuiſſe se dicere, ut de his rebus diſputarent: alioquin fore, ut qui haereſes diſſeminaret, & Chriſtum e. g. Deum, vel hominem eſſe negaret, poſſet iſto mo-

do facinus excusare, & ea scripsisse se dicere *disputandi caussa*: hisque rebus Concinam inductum praeteriisse, quam profers, Amici *Declarationem*. Haec, inquam, tibi respondere me posse videbam. Sed his contentus non eram, nolebamque, Amicum, si quid esset ejus *Declaratio*, quod eum tegere posset, hac defensione privari. Quare jam incipiebam nonnullius negligentiae Concinam accusare: neque tamen ferebam iniquo animo in eum me locum adductum, ut qua fide agerem, tibi demonstrarem. Sed haec mihi cogitanti in mentem venit *Retractationis Tamburini*. Quid, inquam, malum! Hae Casuistarum *Declarationes*, & quasi clanculum eorum operibus agglutinatae *Retractationes* omnia perturbant. Adeo igitur statim Alegambium quaesitum de Amico. Sed unde lucem accipere me aliquam putabam, majores mihi tenebrae sunt offusae. Nihil enim aliud legi pag. 311. Bibliothecae edit. Rom. ab Sotuello, qui eam auxit, an. 1676. curatae, quam fuisse hoc volumen Amici anno 1650. editum Antverpiae; atque ad praescriptum Sac. Inquisit. Congregationis emendatum. Nactus hanc editionem in Bibliotheca Ca-

Casanatensi avide arripio, lectoque Amici loco, nullam reperio *Declarationem*. Quid, inquam, hoc est? Si fuit hoc volumen Amici, cum Antverpiae ederetur, emendatum, qui demum hinc abest *Declaratio*? Ac si hinc abest, unde eam sumpsit Nocetius? Redeo ad Alegambium diligentius perspecturus, an aliam hujus voluminis indicaret editionem: sed unam Antuerpiensem invenio, praeterea nullam. Tum vero quid agerem, nesciebam. Etsi enim valde me exhilararet haec editio, propterea quod Concinae fidem in tuto positam videbam; valde tamen sollicitus eram de tua, neque reperiebam, quid tibi de illa *Declaratione* responderem. Durum erat, non dico exprobrare, sed ne suspicari quidem, te illam confinxisse; sed unde accepisses, divinare non poteram. At enim Alegambius de cuso Antuerpiae, emendatoque volumine Amici cum loquitur, non obscure significat, fuisse illud idem prius alibi, vel etiam Antverpiae typis editum; sed caussam ignorabam, quamobrem is priorem aliam, si qua fuit, editionem omisisset. Itaque etsi aegre ferebam, quidquam occurrere, quod celerem scribendi cursum retarda-

ret, huic tamen rei praevertendum putavi, ut omnia cognoscerem, quae ad hanc *Declarationem* pertinerent. Neque vero poenituit me diligentiae meae. Nam inquirendo perspexi, te, dum erratorum Concinae numerum augeres, saepe veritum non esse ea proferre, quibus te ipsum conficeres, & eos, quos defendis, magis obtereres.

V. Itaque illud primum cognovi, minus recte Sotuellum scribere pag.211. Bibliothecae V. Franciscus Amicus: „ 5. *de justitia, & jure* Antuerpiae apud „ Guilhelmum Lestcericum 1650. in Folio. Correctus hic Liber est juxta decretum Sac: Congregationis Inquisitionis Romanae „. Editum enim prius fuerat hoc Volumen Duaci anno 1642. quod discere poterat ex ipso Alegambe in Supplem. post Append. pag. 582. Bibliothecae Script. Societ. Jesu edit. Antuerp. Ann. 1643. „ Franciscus Amicus, de „ quo in Catalogo, edidit *cursum Theologicum* Tomis VIII. Duaci typis Belleri 1642. in fol.

Multo illud minus probari potest, quod ait Sotuellus: correctum Volumen Amici *de justitia, & jure* edit. Antuerp. esse

ad

ad praescriptum Congregationis: nam multa continet hoc Volumen, quae Indicis Congregatio (haec enim caussam Amici cognovit, non Romana Inquisitio) rejecit, expungique mandavit. Quod palam ut fiat, omnesque intelligant, qua ratione correctum dici possit, Congregationis praescriptum, & Amici locum describere necesse est.

Recita Congregationis praescriptum.

„DECRETUM

„Sacrae Congregationis Indicis

Fer. 3. die 6. Julii 1655.

„In Sacra, & Generali Congregatio-
„ne Indicis Romae habita in Palatio
„Apostolico Quirinali coram Eminentis-
„simis, ac Reverendissimis DD. Sacrae
„Romanae Ecclesiae Cardinalibus ad In-
„dicem librorum eorumdem permissio-
„nem, prohibitionem, expurgationem,
„& impressionem in universa Republica
„Christiana a Sancta Sede Apostolica de-
„putatis.

„ Eminentissimi, ac Reverendissimi
„ DD. Correctioni Quinti Tomi Cursus
„ Theologici P. Francisci Amici Societa-
„ tis Jesu ultimam manum imponere vo-
„ lentes, auditis Relatoribus, jusserunt
„ expungi ultimam partem sectionis se-
„ ptimae disputationis tricesimae sextae,
„ ubi agitur de damno injuste illato in
„ bona corporis, ejusque compensatio-
„ ne, idest, aut auferri in novis impres-
„ sionibus, aut obliterari in impressis to-
„ tum illud, quod continetur intra li-
„ neas, illam, *ceterum etsi verum sit*
„ *nullum dedecus esse*, atque illam, *ma-*
„ *turo judicio relicto penes prudentem le-*
„ *ctorem*: Sicque correctum, atque
„ emendatum iidem Eminentissimi, ac
„ Reverendissimi DD. servatis alias ser-
„ vandis iterum imprimi, ac evulgari
„ permiserunt: impressos vero, ac evul-
„ gatos ita obliteratos licite, ac libere
„ retineri, & legi posse declararunt. Da-
„ tumRomae loco,& tempore supradictis.
„ Fr. Hyacinthus Libellus Ord.
„ Praed S. Congreg. Secret.
„ Loco ✠ Sigilli.
„ Romae ex Typographia Rev. Came-
„ rae Apostolicae 1655.

„ Re-

Recita locum Amici, qui duabus illis lineis, quas indicat Decretum Congregationis, continetur.

„ *Ceterum etsi verum sit nullum dedecus esse* Religioso, aut Clerico, si „ non armis, sed fuga propriam vitam „ contra invasorem tueatur; cum prohibitum sit Religiosis, & Clericis arma „ tractare: *Can. de his Clericis distinct.* 5. „ *& alibi*, ac proinde ipsorum honor „ etiam apud mundanos non consistat in „ valore, & dexteritate armis se contra „ hostem tuendi, sed potius in cultu Religionis, reliquarumque Christianarum virtutum exercitio: negari tamen „ non potest (*hinc ordiuntur Parochi Parisienses hunc locum describere, ex iis enim accepi*) quin saltem honorem, „ famamque illam, quae ex virtute, & „ sapientia nascitur, quique verus honor est, juste defendere Clerici, ac Religiosi valeant, ac saepe debeant, cum „ hic sit proprius professionis ipsorum, „ quem si amittant, maximum bonum, „ ac decus amittunt. Nam per hunc redduntur summopere aestimabiles, & „ conspicui Secularibus, quos sua virtute, ac sapientia dirigere, & juvare „ pos-

„ possunt: quo sublato nec illos dirigere, „ nec juvare poterunt. Ergo saltem „ hunc honorem poterunt Clerici, ac Re- „ ligiosi cum moderamine inculpatae tu- „ telae, *etiam cum morte Invasoris* de- „ fendere;quin interdum lege saltem cha- „ ritatis videntur ad illum defenden- „ dum teneri, si ex violatione propriae „ famae integra Religio infametur. (*Ha-ctenus in editione Antuerpiensi. In editione Duacensi nihil amplius dicebat; sed id, quod ex proposita doctrina consequitur, uberius exponebat hoc modo*) „ Unde licebit Clerico, vel Religioso „ calumniatorem gravia crimina de se, „ vel de sua Religione spargere minan- „ tem occidere, quando alius defenden- „ di modus non suppetat, uti suppetere „ non videtur, si calumniator sit paratus „ ea vel ipsi Religioso, vel ejus Reli- „ gioni publice, ac coram gravissimis „ viris impingere nisi occidatur. Nam si „ in tali casu licitum est Religioso, ne „ ipse occidatur, invasorem prius occi- „ dere, si fuga non possit, quia nimirum „ hostem ante se habet, mortem evade- „ re, licitum quoque eidem erit ad vi- „ tandam gravissimam sui, suaeque Reli-

„ gio-

„ gionis infamiam, si alius modus non
„ suppetat, calumniatorem occidere.
„ Nam quo jure licitum est Seculari in
„ tali casu calumniatorem occidere, eo-
„ dem jure licitum videtur Clerico, ac
„ Religioso, cum in hoc Religiosus, ac
„ Secularis sint omnino pares; cum
„ non minus jus in talem honorem ha-
„ beat Clericus, & Religiosus, quam
„ Secularis in suum: imo majus quan-
„ to major est professio sapientiae, & vir-
„ tutis, ex qua hic honor Clerico, &
„ Religioso progignitur, quam sit valor, &
„ dexteritas armorum, ex qua honor Se-
„ culari nascitur. Adde quod, ut se-
„ quenti sectione probabitur, licitum
„ est Clericis, & Religiosis in tute-
„ lam suarum facultatum furem occide-
„ re, si alius modus eas defendendi non
„ supersit: ergo multo magis id licitum
„ videtur in tutelam famae, & honoris
„ ex virtute, & sapientia consurgentis.
„ Verum quoniam haec apud alios scri-
„ pta non legimus, nolumus ita a nobis
„ dicta sint, ut communi sententiae ad-
„ versentur, sed solum disputandi gratia
„ proposita, *maturo judicio relicto penes*
„ *prudentem lectorem*.

Ita-

Itaque cum in volumine Amici edit. Antuerpiensis, quae anno 1650. curata est, multa, ut liquet, contineantur eorum, quae Sacra Congregatio expungi mandavit, eaque sint propositionis Amici pars praecipua, perspicere te puto, Noceti, non fuisse Sotuello scribendum, volumen illud emendatum ad praescriptum Congregationis esse; cum decretum Congregationis quinquennio post publicatum fuerit, sed emendari ad idem praescriptum oportere: hoc est, legi retinerique posse, modo verba illa pag.412. *ceterum etsi verum sit nullum dedecus esse*, quaeque sequuntur omnia, ut Congregatio praecepit, prorsus obliterentur. Nam si respondes, Sotuellum id ipsum, quod modo dictum a me est, significare voluisse; eosque debere ad praescriptum Congregationis verba illa expungere, in quorum Bibliothecis sunt opera Amici, vereor ne magnopere implicere; caussamque afferre non possis, quare Sotuellus, omissa editione Duacensi, quam non omisit Alegambe, unam memoret Antverpiensem, & hanc unam correctam fuisse moneat ad praescriptum Congregationis. Nam si ex volumine Amici *de Just. & Jure* verba obli-

obliterentur , quae Congregatio jussit expungi , non minus sane illud editionis Antverpiensis , quam alterum editionis Duacensis dici potest ad praescriptum Congregationis fuisse emendatum . Ceterum ex eo modo scribendi : *correctus hic liber est juxta decretum Sacrae Congregationis Inquisitionis Romanae* ; id intelligitur , nihil in eo contineri , quod Congregatio improbarit ; nec potest cuiquam in mentem venire , id esse intelligendum , eundem legi ac retineri , si quaedam obliterentur , posse : praesertim quod licet editionem Antuerpiensem an. 1650. curatam , & decretum correctionis an. 1655. publicatum fuisse constet ; verbis tamen Sotuelli post publicatum decretum editionem illam curatam esse significatur .

Quod quia Indicis Congregationi injuriosum , lectoribusque periculosum est , propterea quod facile sibi , lecto Sotuello , persuadere posint , hanc Amici propositionem , quae in editione Antuerpiensi continetur , falsam non esse , neque rejectam a S. Congregatione fuisse, deesse mihi non potui , quin Congregationis decretum proferrem , ostenderemque lectoribus quemadmodum oporteat

ex

ex eo Amici volumen emendari.

VI. Redeo nunc ad ipſam Amici declarationem, ut oſtendam, quam immerito doleas, fuiſſe a Concina praetermiſſam. Liquet enim ex dictis, Duaci primum an. 1642. editum hoc volumen Amici de *Juſt.* & *Jur.* fuiſſe; & tum Amicum, cum nullum Theologum, quem in ſubſidium vocaret, inveniſſet, errori ſuo illam *Declarationem* adjunxiſſe. Poſt autem, cum eo temporis ſpatio, quod ab hac Duacenſi ad Antverpienſem ſuorum operum editionem interceſſit, multum in hac doctrina profeciſſet, & Caſuiſtam unum, & alterum, quem ſequeretur, inveniſſet, *Declarationem* illam abjeciſſe, ſuamque ſententiam non amplius *diſputandi cauſſa*, ſed ita, ut, quin vera eſſet, minime dubitaret, propoſuiſſe. Et tu doles, Noceti, Concinaeque confidenter exprobras, quod is, quam Amicus ſuſtulit, nec amplius ſibi neceſſariam judicavit, non protulerit *Declarationem*? Quum nihil aliud praedices, quam nimis eum fuiſſe Probabiliſtis infenſum, quo nunc tandem modo iiſdem tam amicum eſſe oportebat, ut, ipſis invitis, eorum proferret *Declarationes*; et quos illi non ſolum

ſolum non occultaſſent, ſed etiam libere, palamque defendiſſent, tegeret errores? Et ſane ſi abeſſet a Duacenſi, extaret autem in Antverpienſi editione Amici *Declaratio*, viderere non inepte Concinam reprehendiſſe, quod eam praeterierit; ſed cum ſolum in priore, non item in poſteriore reperiatur, non video, qui non tibi ab omni accuſatione temperaveris. Nam ſi Concina tibi reſponderet, uſum eſſe se editione Antverpienſi (qua de re, quod minus haec editio rara ſit, & hanc unam, ut dixi, memoret Alegambe, dubitare non debes) & ex ea, quae mens Amici in hac opinione fuiſſet, collegiſſe; nihil tibi ſupereſſet, quo eum malitioſae praeteritionis argueres. Praeter enim quam quod recte ex iis editionibus, quae ſunt omnium poſtremae, & vivis auctoribus curatae, eorumdem ſententia cognoſcitur; ſi quid hic ab eo peccatum eſſet, omnis culpa in Amicum, qui ex Antverpienſi editione ſuam ſuſtulit *Declarationem*; non in Concinam, qui eam ibi non invenit, eſſet conferenda.

VII. Sed age: illud etiam tibi, quod ſane non poſſum, dare volo, vel uſum eſſe Concinam Duacenſi editione, vel ex-

extitiſſe non ſolum in Duacenſi, ſed etiam in Antuerpienſi Amici *Declarationem*. Num poſſum agere tecum liberalius? At nihilo plus proficies, quam ſi abeſſet ab utraque. Noli putare, Noceti, tam hebeti Concinam fuiſſe ingenio, ut quid rei eſſet iſta *Declaratio* non agnoſceret, eamque ad Amicum excuſandum quidquam valere exiſtimaret. Nam quid demum declarat Amicus? An ambigere ſe de veritate propoſitionis, aut ejus foeditate tantiſper commoveri, quae duo conducunt ad cohibendam aſſenſionem? Nihil minus. Id declarat, auctorem ſe unum, & alterum, quem ſequeretur, non habere: nihil cunctaturum, ut fecit, ſimul ac inveniret, illam *Declarationem* abijcere. Et ſane, ut dixi, ita fecit; nam ubi Petrum Navarram, & Sayrum ſibi conſentientes invenit, ſuam opinionem in Antuerpienſi editione, miſſis ambagibus, defendit. Hoc eſt, Noceti, quaeſtionem *diſputandi cauſſa* tractare, & abs re inani cohibere aſſenſionem? Scilicet, inquies. Nam judicium de ſua ſententia lectori relinquit: *maturo*, inquit, *judicio relicto apud prudentem lectorem*. Nae illa erat magna quaeſtio, quae maturum judicium, & pru-

& prudentem lectorem exposceret. Sed age: quod quaerit ille maturum judicium? quem prudentem lectorem appellat? Illi duo non magnae auctoritatis, quos nominavi, satis illi fuerunt, ut reliquos omnes nihili penderet, quasi plus maturi judicii in duobus illis Casuistis, quam in omnibus majorum gentium Theologis, & Ecclesiae Doctoribus fuisset.

Si autem de iis, qui viverent, loquamur, quotus quisque fuit prudens Theologus, qui Amico non repugnaret? Num prudentia major, maturiusque judicium in uno Caramuele ex. gr., qui Amico assensus est, quam in omnibus Academiae Lovaniensis Theologis, qui constanter repugnarunt, reperiebatur, ut his praeferret Amicus illum inanem Casuistam? Non sic agit, mihi crede, Noceti, qui veritatem amat, qui sua ita proponit, ut vere assensionem cohibeat; & si, quod res est, dicere volumus, non aliare magis, quam ista *declaratione* cognoscitur, Amicum abuti judicio lectorum; ad eamque sententiam, etsi verbis negat, re tamen ipsa tamquam ad saxum adhaesisse.

VIII. Sed quamvis nihil esset vitii in hac *Declaratione*, recteque se ab inani sententia assenssionem cohibere Amicus exponeret; cave existimes fuisse illi a Concina fidem adhibendam.

Non erat is earum rerum, quae in hac controversia contigerunt, adeo imperitus, ut simul ac in eam *declarationem* incidisset, non alia multa haberet in promptu, ex quibus intelligeret, Amicum opinionem suam pugnacissime defendisse, & nihil minus, quam assensionem, in ea proponenda sustinere voluisse. Illud erat primum, idemque gravissimum, quod licet Academia Lovaniensis, petente, ut docent *scripta Parochorum Parisiensium*, Consilio Brabantiae, illam opinionem cum falsam, tum hominum societati perniciosam declarasset, nihilo secius in sententia mansisset, & quibusdam amputatis, partem ejus deterrimam in Antuerpiensi editione retinuisset. Erat alterum, quod ubi se oppugnari vidit, fautores, qui sibi praesidio essent, unde unde conquisisset, & Zergolium Jesuitam Graeciensem extimulasset, ut epistolas ad Casuistas daret, ex quibus eorum hac de re sententias eliceret. Nam dedit Zergolius litteras anno

1649.

1649. ad Caramuelem, in quibus erat hoc modo: „ rogavit is (*Amicus*) me, ut „ ad viros, quos ſcirem in hac diſciplina „ celebres, recurrerem, eorumque judi- „ cia de ea conquirerem „. Caramuel autem, ut erat magnus Ptobabiliſta, cum ſponte ſua, tum magnis Zergolii laudibus incitatus non dubitavit paratiſſimum ad eam rem ſe ſe praebere, dataque ad Zergolium epiſtola, Amici probare, argumentiſque confirmare ſententiam. Nec defuere, teſte eodem Caramuele in *Theologia fundamentali Tom.I. fundam. LV. pag.*543., *& ſeq.* edit. Francford. 1652., alii magno numero Caſuiſtae, qui contra Academiam Lovanienſem Amico ſuffragarentur. Extant Zergolii ad Caramuelem, & Caramuelis ad Zergolium hac de re epiſtolae, quas tamen opus non eſt hoc loco deſcribere: cum facile poſſis eas legere apud Caramuelem loco cit. Theolog. Fundam.

IX. Nunc te, Noceti, opus eſt diſerto, atque eloquente. Nam ſi perſuadere cuiquam poteris, eum, qui tot rumores, tot turbas, & bella in Republica litteratorum excitavit, ne ſuam cogeretur deſerere opinionem, nihilominus eam

nonnisi disputandi caussa proposuisse : quo minus Concinam damnes, & de reportata victoria tibi plaudas, non recuso. Sed difficile tibi erit rem tantam ulla oratione perficere. Nam incredibile dictu est, haesitare in defendenda sententia Theologum, qui etsi videat eam doctorum hominum, Academiarumque judiciis acriter oppugnari, non solum haud desinit ipse tueri, sed hoc etiam perficere nititur, ut eadem a quamplurimis defendatur. Itaque vide, quam sit a ratione alienum, ne dicam inane, hanc *declarationem* obijcere, & putare Concinam, his rebus spectatis, non potuisse intelligere, eam non ex animo, qui revera sustineret assensionem, sed ex eo, qui novitatis invidiam fugere vellet, esse profectam; proindeque, vel ab se omnino omittendam; vel, nisi omisisset, cetera omnia, quae ad ejus historiam, ipsiusque Amici pro sua opinione tuenda contentiones pertinerent, omnino proferenda.

X. Sed ut nihil de turbis diceret, nihil de Caramuele, ceterisque Amici fautoribus loqueretur, non potuisset sibi deesse, quin ipsam rationem novas opiniones in morum Theologiam introducendi vehe-

vehementer improbaret. Quamvis enim, ut Vivae excusationem refelleret, illud prudenter animadvertit, ne *disputandi caussa* quidem licere Theologo has quaestiones proponere; rem tamen egit obiter, & quantum satis erat, ut Vivae excusationem inanem esse demonstraret. Nam si operosius controversiam explicasset, & Amici declarationem protulisset, multo majorem ex ea, & praesertim ex quodam Lessii documento de Just. lib.2. cap.22. dub. 10. numer. 56. edit. Lugd. 1630., quod Amicum in hac opinione proponenda constat esse sequutum: *Sic loqui solemus ad declinandam invidiam quando aliquid novi, & receptae opinioni adversum ex nostra sententia proferimus*, habuisset dicendi copiam. Sed tum eum non imposturae ob praeteritam Amici *declarationem*, sed nimiae loquacitatis ob eam ipsam non praetermissam haud dubie accusavissetis. Sic est: quia hanc *declarationem* praeteriit, imposturae reum esse dicitis; nisi praeteriisset, Declamatorem esse diceretis. Ita is sive loquitur, sive tacitus quid omittit, graviter offendit. Quid facto esset opus? Ut omnino taceret? Hoc nimium est. Decet enim eum,
 qui

qui ingenio valet, qui peritus est Theologiae, qui Divi Thomae Discipulus, contra externos, contraque suos pro veritate pugnare.

XI. Extremum est, ut de Dominicanis, quos hoc loco cum Amico conjungis, pauca dicam. Non est hic locus, ut dixi, eos defendendi. Unum quaero, qui potueris ullos in Amici subsidium appellare; quando is in sua *declaratione* fatetur, nullum se habuisse, quem sequeretur, hujus opinionis Auctorem? „ Verum, quia haec apud alios scripta non „ legi, nolo ita sint dicta, ut communi „ sententiae adversentur, sed solum di„ sputandi gratia, maturo judicio relicto „ apud prudentem lectorem. „ Si haec Amicus apud alios, atque adeo apud Dominicanos non legit, qui tu demum legere potuisti? Si postea idem Amicus, cum Auctores, quos sequeretur, operose inquisisset, non alios, nisi Petrum Navarram, & Sayrum, qui sibi consentientes essent, ut ex epistola Caramuelis constat, potuit invenire, qui tu demum tot Dominicanos invenire potuisti? Dicam quod res est. Quum taederet vehementer, te non posse tegere Amicum tam foedae opinionis

nionis defensorem alicujus Dominicani Auctoritate, usus es artificio, pluresque Dominicanorum ejusmodi sententias, quae verborum similitudine fucum facerent imperitis, coacervasti, ut hi saltem nihil ab Amico, quod a Dominicanis non accepisset, scriptum esse existimarent. Sed scribito, ut lubet, de Dominicanis. Mihi satis est bonam Concinae fidem in exponenda Amici sententia; & Vivae excusatione refellenda tam aperte demonstrasse, ut omnes intelligant, esse tibi illa tua omnino corrigenda. „ Habuit „ ne P. Viva aliquod principium id asse- „ rendi? Indicat ne hoc P. Amicus? „ Evulgavit ne typis sanguinariam do- „ ctrinam, nulla declaratione adjecta? „ Tam intrepidae imposturae fieri ne pos- „ sunt evidentiores? Hinc colligat le- „ ctor, quanti faciendae sint assertiones „ P. Concinae. „ Confer jam, Noceti, cum iis, quae dixi, has tuas interrogationes (puto enim ad singulas me satis respondisse) & quam sint inanes cognoscito.

XII. Venio nunc ad Arriagam, qui- *De Arriaga.* cum Cap. LXXVIII. Castropalaum, Gobatum, & Moyam conjungis; de quibus

a me quoque una differetur, ne sit iterum is mihi, cum ad eos venero, explicandus locus. Sed hoc praedico, minime omnium eum abs te fuisse praetermittendum, ex quo Concina *Tom.* 8. *Theolog. Christ. pag.* 88. omnia sumpsit, quorum caussa doles, & valde acrem in eum instituis orationem. Cur enim non defendisti La-Croixium? Nam cum tam operose pro Arriaga, Gobato, Moya, Castropalao, aliisque pugnaris, ut quatuor in uno Concinae loco imposturas offenderes, tum ne vel unam quidem pro La-Croixio invenire potuisti. Quid autem? Annon hunc Concina nominatim refellit? Nonne ejus locum summatim describit? Sed erat e re tua hunc, ceteris prolatis, praeterire, ne palam fieret, recte eum refelli a Concina, & si quid in ceteris, qui a La-Croixio nominantur, refellendis erraffet, statim appareret lectori, in eum, & non in La-Croixium oportere culpam conferre. Differitur igitur ab La-Croixio *Tom.* 5. *Theolog. Mor. lib.* 6. *part.* 1. *de Sacram. nu.* 81. *edit. Colon.* 1710. de casibus, in quibus licere putant Casuistae Sacramentum aliquod, imprimis poenitentiae, adhibita conditione,

tione, conficere. Tum num. 83. quemadmodum hanc conditionem addi oporteat, exponens, varias eorumdem memorat opiniones. Nam alios,eam verbis exprimi oportere, alios ſatis eſse in mente retineri, alios, cum in mente retinetur, ita concipi poſse: *Volo omnes, & ſolos abſolvere, qui erunt legitime diſpoſiti*, docere demonſtrat. Sed ita opiniones Caſuiſtarum profert, ut confundat vera cum falſis, & quo quiſque de caſu loquatur, ut par erat, non oſtendat. Quare deſcripto opus eſt La-Croixii loco, ut rem perſpicue exponamus. Is igitur loco cit.num.83. „ Quando conditio, *inquit*,
„ apponi debet, Caramuel putat, ore
„ exprimendum eſse, & omnino conſul-
„ tius eſt. Hinc Haun. num. 711. di-
„ cit, regulariter loquendo fore pecca-
„ tum ſi mente retineatur.E contra J. San-
„ chez, Caſtropal. Arriag. de Poenitent.
„ d. 31. num. 39. Gorm. num. 220. Go-
„ bat tract. 7. nu. 271. abſolute dicunt,
„ non opus eſse ore exprimere. Quod
„ Eſcobar lib. 15. num. 230. dicit eſse
„ certum; & in eo convenire Doctores,
„ dicit Moya T. 1. t. 3. d. 6. quaeſt. 4.
„ num. 42. Addit Gobat num. 272. ne
„ qui-

„ quidem opus esse habere explicite, &
„ formaliter in mente, sed sufficere, si
„ implicite, & virtualiter, qualiter ha-
„ bet, qui voluit audire confessiones se-
„ cundum institutionem Christi, vel in-
„ tentionem Ecclesiae. Hinc notat Bo-
„ sco d. 7. *f*. 3. num. 135. aliquos puta-
„ re, quod satis sit antea sic formare in-
„ tentionem: *Volo omnes, & solos ab-*
„ *solvere, qui erunt legitime dispositi*.
„ Hinc Moya etiam dicit, se non dam-
„ naturum de mortali illum, qui ne qui-
„ dem mente expresse conciperet condi-
„ tionem, quia certum est, semper ades-
„ se conditionem implicitam, quum ne-
„ mo intendat conferre Sacramentum, nisi
„ prout potest, & debet. Quidquid sit
„ de hoc, Con. Less. Bardi. Dicastill.
„ de Baptism. d. 1. num. 183. Schild.
„ de conf. t. 6. cap. 1. num. 4 Ber-
„ nal. num. 71. aliique communiter
„ absolute dicunt, non esse de valore,
„ ut conditio ore exprimatur, sed per
„ conditionem in mente retentam suffi-
„ cienter restringi verba, cum operari
„ non possint ultra intentionem loquen-
„ tis. Unde si v. g. praevideretur offen-
„ sio suscipientis Sacramentum, si con-
„ di-

„ ditio ore exprimeretur, satis esset men-
„ te retinere.

XIII. Ita de re gravissima, qualis est conditionis adjunctio formis Sacramentorum, imprimisque formae Sacramenti poenitentiae, contra quam ferat vetus Ecclesiae disciplina, differit hic Probabilista; qui missis Patribus, Conciliis, & gravioribus quibusque Theologis, Casuistarum dumtaxat profert opiniones, quin ullam sane rejiciat, ne illam quidem sumptam ex Bosco: *Volo omnes, & solos absolvere, qui erunt legitime dispositi*. Atque haec est doctrina, quam auctor *Theologiae Christianae* loc. cit. acriter improbavit. „ P. La-Croix lib. VI. part. 1.
„ num. 81., & seq. plures agglomerat
„ casus de adjectione conditionis. Si
„ conditio sit de futuro, ut *te absolvo si*
„ *cras sol orietur*; *si Antichristus sedu-*
„ *cet multos*; *si Deus cognoscit quod cras*
„ *restitues*. Et subdit multos Doctores
„ sentire cum Dicastillo, & Esparza,
„ aliisque, conditiones istas esse de prae-
„ senti. Sed sunt ista supra quam dici
„ potest, vana, & inania (his tu praetermissis, ex quibus Concina La-Croixium summatim describere, eumque impri-

primis refellere cognoscitur, ex iis, quae sequuntur, initium fecisti hujus loci describendi). Disputant quoque, num adje-
„ cta conditio exprimi ore, an sola men-
„ te concipi debeat. Castropalaus, Joan-
„ nes Sanchez, Arriaga, Gobat, Escobar
„ contendunt, sat esse eam mente conci-
„ pi: *Volo omnes, & solos absolvere, qui*
„ *erunt legitime dispositi*. Ultra pergit
„ Moya, ut refert idem La-Croix, do-
„ cetque, se non damnaturum mortalis
„ culpae illos, qui ne mente quidem ex-
„ presse conciperent conditionem impli-
„ citam, quum nemo intendat conferre
„ Sacramentum, nisi prout potest, &
„ debet. Haec, & plura alia de more P.
„ La-Croix arbitrio lectoris relinquit.
„ Hinc juxta relatam doctrinam omnibus
„ accedentibus ad Tribunal poenitentiae
„ dispensare ministri thesaurum absolu-
„ tionis poterunt, ut dispositi illam per-
„ cipiant, secus indispositi. Hoc condi-
„ tionis implicitae arcano confessarii a
„ molestia severe examinandi dispositio-
„ nem poenitentium sese liberant, & nu-
„ merosissimam populorum frequentiam
„ sibi conciliant. Omnes se absolutos
„ existimant, quum ignorent secretum
„ con-

„ conditionis implicitae. Quam ſit haec „ doctrina & perniciosa poenitentibus, „ & christianae diſciplinae infeſta, quiſ„ que intelligit. Infra de Poenitentia ſe„ verius diſcutietur „.

XIV. Haec tibi oratio plena videtur irriſionis, & impoſturarum, quas Populo Chriſtiano diligenter exponis. „ Pri„ ma impoſtura, *inquis*, vel ſaltem defe„ ctus bonae fidei in eo eſt, quod aperte „ non exponat caſum, pro quo ſolum lau„ dati Doctores tradunt illas doctrinas „ de conditione abſolutioni apponenda. Ex hoc uno, quod multis modis ſaepe verſas, quatuor efficis impoſturas, quare nihil erit cauſae, cur eo confutato de ſingulis reſpondeam. Ad rem quod attinet, ſi opus erat, caſum, de quo quiſque loquitur, exponere, cur La-Croixius non expoſuit? Cur eum non arguis impoſturae? Ille tibi primum caſtigandus erat, qui de modo adijciendae conditionis varias Caſuiſtarum referens opiniones tam implicate ſcripſit, ut non ſolum, quo quiſque de caſu loqueretur aperte, ut par erat, non indicarit, ſed etiam omnes idem ſentire, aut ſane parum inter ſe differre demonſtrarit. Nam Concinae ſatis fuit,

fuit, quod ille afferret, paucis describere. Sed La-Croixio, inquies, venia dari potest, propterea quod necesse non erat, ut casus distingueret, & suum cuique Casuistae adsignaret is, qui universos probabat. At Concinae, qui non omnes legitimos judicabat, qui etiam reprehendebat, de quo quisque Casuista loqueretur, perspiciendum erat. Ita videlicet se se res habet: qui Casuistas errantes sequitur, etsi vehementer erret, etsi saepe falso eorum loca describat, numquam male audit; qui refellit, is, cum eos ita, ut eorum sententia postulat, describit, calumniator est, is impostoribus adnumeratur. Ad rem quod attinet. Quorsum Concina, postquam quaestionem: *Validum ne sit Sacramentum forma conditionali administratum*, quantum satis erat, explicasset; singulorum Casuistarum opiniones investigaret, & quos quisque casus excogitasset adhibendae conditionis, scrupulose numeraret? Nihil ad eum haec res pertinebat: quare satis illi fuit breviter eas exponere, quae descriptae erant ab La-Croixio, idque paucis improbare, quod non erat obscurum, neque ambiguum, omniumque deterrimum visum est: *volo omnes, &*
solos

solos absolvere, qui erunt legitime dispositi. Nonne hanc rationem adhibendae conditionis proponit, neque tamen improbat, ut oportebat, La-Croixius? Quid ergo Concina peccavit, si tam laxam, quod negare non potes, opinionem gravi oratione confutavit?

XV. Peccat, inquis pag. 199., in eo, quod rem ita exponat, ut significet illos Casuistas „ Loqui de omni casu, quo „ quis audiat confessiones, vel ad eas au- „ diendas se accingat. Innuit enim, ex „ eorum doctrina sat esse, ut qui se ex- „ ponit audiendis confessionibus mente „ concipiat hanc intentionem: *volo om-* „ *nes, & solos absolvere, qui erunt legi-* „ *time dispositi* „. Huic est simile quod ais pag. 202. „ Neminem eorum talem „ doctrinam tradere, juxta quam omni- „ bus accedentibus ad Tribunal poeni- „ tentiae dispensari possit absolutio, ut „ dispositi illam percipiant, secus indi- „ spositi „. Quid? La-Croixius, de hoc enim sermo habendus est, *nonne loquitur de hoc casu, quo quis audiat confessiones, vel ad eas audiendas se accingat*? Talemne La-Croixius non tradit doctrinam, *juxta quam omnibus accedentibus ad Tribunal*

poe-

poenitentiae dispensari possit absolutio, ut dispositi illam percipiant, secus indispositi? Age Noceti, permitto tibi, ut agas de me, deque auctore *Christianae Theologiae* justissimum triumphum, si quidquam ostendis in hoc La-Croixii loco, quo temperet, aut restringat hunc modum adhibendae conditionis: *Volo omnes, & solos &c.* quo minus dici possit, eum *loqui de omni casu, quo quis audit confessiones, vel ad eas audiendas se accingat*. At frustra laborabis quaerendo. Nam nisi tale quidpiam in eo repente innascitur, La-Croixius non adjunxit. Boscus etiam tibi attente legendus erat, ex quo hanc rationem adhibendae conditionis sumsit La-Croixius, ut intelligeres, eum ipsum, quem respuis, & tuis a Concina attributum fuisse dicis, esse horum verborum sensum: *Volo omnes, & singulos &c.* Legito nunc, nam magna diligentia quaesivi, ut tibi quid velit, verbis ejus ostenderem. Boscus enim part.3. Theolog.Sacram. disput.7. de Sacram. Poenit. sect.3. de Form. Sacram. concl.6. num.135. pag. 462. edit. Lovanien. 1670. „ Rursum, „ *inquit*, affirmo, nullam me videre ra„ tionem, quare Sacerdos prudenter du„ bi-

„ bitans, an formam bene protulerit, non „ possit absolvere sub conditione: Si non „ est absolutus. Similiter si prudenter „ dubitet de legitima dispositione, si es „ bene dispositus. Imo videtur aliquibus „ non improbabile, Confessarium acce- „ dentem ad sedem confessionalem hanc „ generalem posse formare intentionem: „ *Volo omnes, & solos absolvere, qui* „ *erunt legitime dispositi*; ne videlicet „ Sacramentum exponatur periculo nul- „ litatis, dum saepius abest interna di- „ spositio, tametsi exterius non appa- „ reat.

Negas etiamnum, Noceti, hunc mo- dum adhibendae conditionis valere „ in „ omni casu, quo quis audiat confessio- „ nes, vel ad eas audiendas se accin- „ gat? „ Est ne hoc Concinae impostu- ra, an ipsius formulae significatio? Sed & ipsa ratio, quam adfert hic Casuista ad- dendae isto modo conditionis: *ne Sacra- mentum exponatur periculo nullitatis, dum saepius abest interna dispositio, tametsi ex- terius non appareat*; id ipsum aperte de- monstrat. Quando enim incertum Sacer- doti non est, adsit ne revera *interna disposi- tio*? Quando haec ita apparet, ut omne

periculum, ne Sacramentum inane sit, penitus tollatur? Itaque si etiam in iis absolvendis, quos Sacerdos prudenter judicat esse comparatos, adhibenda conditio est, propterea quod *saepius abest interna dispositio, tametsi exterius non appareat*, numquam conditio adhibenda non est.

XVI. Alia multa, ne longus sim, praetereo. Illud non video, qui tibi in mentem venerit *imposturae* arguere scriptórem, qui quid sibi ex alterius sententia consequens esse videretur, ingenue exposuit. Tuum erat, priusquam Concinam accusares, demonstrare, non sequi ex doctrina La-Croixii, & ex illa formula generali adhibendae conditionis, eum *loqui in omni casu, quo quis audiat confessiones*; vel itaSacerdotes absolutionem impertiri, *ut dispositi illam recipiant, secus indispositi*. Sed, cum non posses, praeterito La-Croixio, ad Gobatum, Castropalaum, Moyam, & Arriagam evolasti, ut horum quibusdam locis lectoribus suaderes, Concinam reum esse imposturae. Itaque ut agnoscas, Te ne sic quidem quidquam profecisse, videamus de ceteris.

XVII. „ Secunda impostura est, *in-*
„ *quis*, Castropalaum, Gobatum, Arria-
„ gam

„ gam contendere, ſat eſſe mente eam
„ concipi: *Volo omnes, & ſolos abſolvere, qui erunt legitime diſpoſiti*. Nemo
„ enim eorum hoc intendit, aut de hoc
„ verbum habet, ut item patebit ex eorum textibus.

Jam poteſt tibi ex iis, quae dixi, perſuaſum eſſe, nullam cauſam fuiſſe, cur Concina hos Caſuiſtas adiret, & quo quiſque de caſu loqueretur, perſpiceret. Nam quorſum tempus conſumeret in iis legendis quando in uno La-Croixio, quod refellebat, non erat obſcurum, neque ambiguum? Nec eſt, cur opponas, debuiſſe Boſcum nominare, & huic uni acceptum referre modum illum addendae conditionis: *Volo omnes, & ſolos &c.* Ex eo enim ſumpſerat La-Croixius. Id quidem ſi feciſſet, omnem tibi viam praecidiſſet accuſandi ſui. Sed neceſſe non erat, propterea quod ex oratione La-Croixii ſatis, ut dixi, apparebat, eum modum plus minuſve ad omnes, quos nominabat, pertinere. Audi, ut id exemplo declarem, quemadmodum La-Croixius Gobatum inducit.
„ Addit Gobat. n.272. Nequidem opus
„ eſſe habere explicite, & formaliter in
„ mente (conditionem, ſed ſufficere, ſi

„ implicite, & virtualiter, qualiter ha-
„ bet, qui voluit audire confessiones se-
„ cundum institutionem Christi, vel in-
„ tentionem Ecclesiae. Hinc notat Bo-
„ sco tract.7. §.3. num.135. aliquos pu-
„ tare, quod satis sit antea sic formare
„ intentionem: Volo omnes, & solos ab-
„ solvere, qui erunt legitime dispositi.„
Post illa Gobati, unde quaeso istud: *Hinc notat Bosco?* Ita sane loquitur, qui promit ex uno Scriptore, quod cum dictis alterius putat esse conjunctum. Quare aut id, quod Gobatus dicit, cum opinione Boschi conjunctum est, aut ipse La-Croixius quod conjunctum non erat, inepte conjunxit. Utrum eligas nihil laboro. Nam ex alterutro illud efficitur, recte Concinam de Gobato, & aliis, quos defendis ex La-Croixio judicasse.

XVIII. Sed jam faciam, ut experiundo cognoscas, nihil esse tibi minus tutum, quam Concinam mittere ad Casuistas legendos. Nam cave putes, si eos adijsset, quidquam de illa oratione diminutum iri, quam tu quidem *sarcasmis, & imposturis*, ego studii, & gravitatis plenam esse existimo. Etsi enim unum, & alterum, Moyam dico, & Arriagam, non recte a La

Croi

Croixio laudatos fuisse perspexisset, plura tamen in ceteris invenisset eodem loco habenda, atque illa ratio addendae conditionis: *Volo omnes, & solos &c.*

Non putas, Noceti, ejusmodi esse Castropalai, & Gobati, quam profers, opinionem? Nihil dubitas iis textibus Concinam arguere *imposturae*, ex quibus efficitur eos in pari, ac La-Croixius, errore esse versatos? Age igitur, qualis sit horum Casuistarum opinio, quando tu dissimulas, videamus. „Loquuntur, *inquis*, „ pag. 199., solum de casu, in quo danda „ est absolutio conditionata, ut esset ex. „ ca. casus moribundi destituti sensibus „ de quo dubitatur, num sit capax; & „ casus, in quo poenitens jam manifestas- „ set sua peccata, & post diligentem di- „ scussionem dispositionis Sacerdos esset „ dubius; vel casus in quo poenitens non „ haberet nisi unum peccatum dubium.

Mitto primum, & tertium, de quibus, & aliis horum similibus ferri potest, Theologos disputare. Alterum arripio, quem novi Casuistae excogitarunt, de absolutione iis impertienda, de quibus Sacerdos dubitat, an sint ad eam percipiendam comparati. Nosti, Noceti, quam late pa-

teat hic casus, & docere te potuit Castropalaus Tract.23. disput. unic. punct.5. pag.128. col.2. num.9. edit. Lugd. 1649. ex quo hunc locum exscripsisti. „ Praete-
„ rea praedicta verba absolutionis profer-
„ ri debent absolute, non conditionate:
„ quia hic est usus, & praxis Ecclesiae,
„ ideoque absolutioni tenetur Sacerdos
„ praemittere poenitentis notitiam; quem
„ si rite dispositum inveniat, absolvet:
„ sin minus, absolutionem denegat. Sed
„ quia saepe contingit post diligentem
„ discussionem Sacerdotem dubium esse,
„ an poenitens rite dispositus sit absolu-
„ tioni recipiendae, ut in casu proxime
„ dicto videri potest, non est illicitum,
„ sed potius conveniens, absolutionem
„ concedere sub conditione de praesenti
„ mente saltem retenta, *si rite es disposi-*
„ *tus, te absolvo*. „ Hactenus tu quidem, sed mihi non sunt caetera omittenda.
„ Quia per hanc conditionis appositio-
„ nem nec poenitenti damnum irrogatur,
„ cum non impediatur Sacramenti effe-
„ ctus, si ad illud suscipiendum disposi-
„ tus sit: neque ulla Sacramento fiat in-
„ juria; quin imo ejus reverentiae Sacer-
„ dos prospicit, nolens ejus formam va-
ne,

„ ne, & inutiliter proferre, atque ita
„ sustinet Vasquez aliis relatis *de poenit.*
„ *quaest.*84. *art.*3. *dub.* 5.

Audistin? *saepe contingit*, quod tu dissimulas, *Sacerdotem dubium esse*; *An poenitens rite dispositus sit absolutioni recipiendae*. Quotiescumque autem contingit, quid facto est opus? *Absolvatur*, respondet Gobatus, *in nomine Domini*. Et ubi nam Dominus ait, tales absolvi debere? Dominus autem? Ne Theologum quidem alicujus existimationis, qui dicat, invenies. Neque te moveat, quod videas hoc loco Vasquesium a Castropalao laudari. Nam Vasquesius ab hac opinione longissime abest; & ostendam tibi hoc exemplo in quibus oporteat magnos errores diligenter castigari.

Nunc Gobatum quoque audiamus Tract.7. num.268. pag.728. col.2. edit. Monach. 1681. „ In tertio, si adhibita
„ Confessarii diligentia, nequeat tolli
„ dubium, absolvatur *in nomine Domini*
„ etiam *sub conditione*. Ut primum enim
„ coepit aperire Sacerdoti unum pecca-
„ tum, acquisivit saltem imperfectum jus
„ ad absolutionem. Fructu hujus certi
„ juris non debet integre privari ob so-

„ lum dubium. Ergo *sub conditione* danda „. Hic quoque fecisti describendi finem; ego non faciam: recita reliqua. „ Certe experientia quotidiana docet, e „ centum dubiis casibus tam *juris*, quam „ *facti*, vix unum alterumve reperiri, in „ quo si proprie dubitent unus, duo, tres, „ non reperiantur totidem, qui tamquam „ probabilem sustineant partem *affirmativam* illius dubii: totidem qui *negativam*. Ut proinde quando dubitas, an „ tuus poenitens sit satis dispositus, possis prudenter ita ratiocinari: *Ego quidem proprie dubito propter hanc, aut illam rationem; merito tamen credo, vivere prudentes viros, qui, si adessent, dicerent, meum dubium esse inanem scrupulum; Quidni igitur me accomodem illorum, etsi ignotorum sensui?* „ Nota hanc doctrinam pro pluribus aliis „ casibus.

XIX. Haec est doctrina Castropalai & Gobati, hae rationes, quibus eam confirmare conantur, quibusque haud scio, an quidquam absurdius, ne gravius dicam, excogitari possit. Non docetur Sacerdos attendere morem Ecclesiae: reminisci documenta majorum: considerare quam-

quamdudum, & a quibus haec doctrina fuerit introducta; sed cogitare, cum casus incidit, ut dubitet de statu *poenitentis*, forte homines uspiam vivere duos, vel tres, qui dicturi sint, si adessent, videri sibi, dubium esse inane, & eum absolvi posse. Conferas, Noceti, hoc novum, & inauditum probabilissimi genus cum illa ratione adjiciendae conditionis: *Volo omnes, & solos absolvere, qui erunt legitime dispositi*; & ostendito, si potis es, utrum sit deterius, aut saltem quid intersit inter Sacerdotem, qui dicit *Volo omnes, & solos &c.* & eum, qui id quidem non dicit, sed tamen imbutus doctrina Gobati, adhibita conditione, omnes absolvit, de quibus dubitat, utrum animo praeparato accedant.

Neque tibi praesidio esse potest, quod illi dicunt de adhibenda diligentia, quod tu magnis characteribus saepe cudi voluisti, ut intelligeremus, eos nonnisi post adhibitam diligentiam permittere Sacerdoti, ut hujusmodi *poenitentes* absolvat. Hoc etiam deerat, ut diligentiam adhibendam esse non dicerent. Sed hoc tibi; Noceti, consilii do, ut quando legis Casuistas, non verba multum atten-

tendas, quibus aut diligentiam laudant, aut alias ejusmodi res, puta dolorem, aut propositum efflagitant; sed ipsam, quam afferunt opinionem, & rationum momenta diligenter expendas. Nihil enim prodest multis verbis laudare diligentiam, quando ipsa opinio magnam gignit negligentiam. Et vero quam putas magnam adhibiturum diligentiam eum, cui persuasum sit ex doctrina Castropalai, se, si adhibita conditione absolvat, neque ullam Sacramento injuriam, neque homini, quem absolvit, damnum illaturum? Quam item magnam eum, qui quotiescumque hic casus incidit, absolvere se posse existimet, si cogitet, ut docet Gobatus, homines uspiam vivere duos, aut tres, qui eum, de quo ipse dubitat, comparatum esse non dubitarent? An potuit quidquam facilius excogitari ad eximendos scrupulos Sacerdotibus, quominus vereantur absolutiones liberaliter impertiri? Ego non puto Concinae orationem, praesertim si haec Gobati, & Castropalai retulisset, visum iri cuiquam, quemadmodum visa est tibi pag. 202. plenam imposturis, & calumniis. Quam si pergis isto modo vitupera-
re,

re, vide quid facias Thomae a Villanova, Carolo Borromeo, & tuo Bellarmino, ut ceteros omittam, quorum orationes adversus negligentes hujus Sacramenti ministros multo sunt vehementiores, quibusque a nemine unquam objectum est, quemadmodum abs te Conci-nae objicitur, perinde facere, quasi suspectos populo christiano reddant Sacerdotes: in quos si potuit negligentia obrepere, nondum editis hujusmodi doctrinis, non video, qui calumniae, aut imposturae accusari possit is, qui nimis multam editis, & diu non confutatis obrepsisse existimaret.

XX. Extremum est, ut te moneam, longe utiliorem, missa *Christiana Theologia*, consumpturum te operam in Casuistis excutiendis, & emendandis. Praeter enim quam quod magno beneficio cumularis universam Rempublicam litteratorum, palamque omnibus facies, quam turpiter errarint in referendis aliorum testimoniis, & quantopere abusi sint auctoritate magnorum Theologorum; nos etiam magno metu liberabis, ne impostorum numero habeamur, cum forte uni vel alteri fidem adhibemus. Magnus sane labor,

labor, ſed valde neceſſarius. Quod etſi multis exemplis tibi oſtendere poſſim, uno in praeſentiarum contentus ero. Caſtropalaus ecce tibi, qui defendens, ut dixi, poſse Sacerdotem eos, adhibita conditione, abſolvere, de quibus dubitat, an recte comparati ſint, Vaſqueſium eſse ſibi conſentientem dicit: *ita*, inquit, *ſuſtinet Vaſquez aliis relatis de poenit. quaeſt.* 84. *art.* 3. *dub.* 5. Quid putas? Vaſqueſium cum Caſtropalao conſentire? nihil minus. Poſtquam enim docuit Vaſqueſius loco citat. licere Sacerdoti, ſi forte non reminiſceretur pronuntiatae abſolutionis, adhibita conditione, rurſus abſolvere: neque videri ſibi quamobrem ulla hoc modo fiat injuria Sacramento: „ notat, *inquit*, Cajetanus, quod licet „ non eſſet contra naturam formae ſi quis „ de praeſenti hanc apponeret conditio- „ nalem *ego te abſolvo, ſi vero promittis* „ *hoc aut illud facere*, ad quod judicat „ Sacerdos teneri poenitentem: tamen „ erraret Sacerdos apponens hanc con- „ ditionem, quia praeſumit ſub dubio „ tradere formam, quae debet eſse „ non dubia: quamvis enim maxi- „ mae curae debeat eſse Sacerdoti co- „ gno-

„ gnoſcere diſpoſitionem poenitentis,
„ dolorem ſcilicet, & propoſitum, ipſi
„ tamen facta diligenti excuſſione cre-
„ dendum eſt, & ita impendenda abſo-
„ lutio, nec reputanda materia dubia,
„ quae revera non debet dubia exiſti-
„ mari.

Viden quemadmodum etiam in rebus magni momenti abutantur Caſuiſtae auctoritate Theologorum? Primum rationem Vaſqueſii, quae, cum aliqua neceſſitas urget, inepta non eſt, transfert Caſtropalaus ad ſuam opinionem probandam, quaſi etiam tum, cum dubium eſt, an *poenitentes ſint diſpoſiti*, ulla ſit cauſa, aut neceſſitas conficiendi Sacramenti. Deinde, quod eſt ad fallendum comparatum, Vaſqueſium in eo, quod diſerte negat, eſse ſibi conſentientem dicit. Veh Concinae, ſi hac de re quaeſtionem inſtituens, forte in Caſtropalaum incidiſset, cumque refellens Vaſqueſium una nominaſset. Continuo, lecto Vaſqueſio, & nihil tale, quale illi Caſtropalaus attribuit, in eo reperiens, clamaſses Concinam impoſtorem eſse, velle calumnia obruere Vaſqueſium. Quid ita? Nonne fidem adhibuiſset Caſtropalao? Quamdudum,

dum, nisi ab edita Probabilismi historia, & scripta Christiana Theologia, imposturae reus habetur, qui fidem adhibet Casuistae vestro, aut summatim ejus orationem describit?

De Azorio. XXI. Succedit his Azorius, de quo disputas cap.XII.pag.21. ubi una Vasquesium,&Lessium defendis,eorumque sententiam, ut tibi loqui moris est, suæ restituis *sinceritati*. At cui *sinceritati*? Puto illi, quam tu ipse eorum Sententiae ademisti. Quaestio a Concina instituitur tom. 2. Theol. Christ. pag.277. liceat ne domos meretricibus locare, & inde haec verba descripsisti ,, . Adfirmant communiter re- ,, centiores. Sanchez libr.1. in Decal. ,, cap.7. num.20. Azorius part.2. lib.12. ,, cap.18. quaest. 3. Vasquez opusc. de ,, Scand. quaest.43. art.8. dub.5. num.38. ,, ...Lessius lib.2. cap.24. dub.7.... ,, ... Tamburinus lib.5. in Decal. §.4. ,, num. 34.. Etiam nulla, *inquit*, ex- ,, cusante causa. Excipiunt tamen com- ,, muniter,nisi domus magis apta esset ob ,, situs conditionem ad peccandum, & ad ,, homines alliciendos, & vicinitas me- ,, retricis multum noceret honestis femi- ,, nis in vicinia commorantibus. Nam

,, tunc

„ tunc requiritur causa qualis certe suffi-
„ ciens esset, non posse aliis honestiori-
„ bus locari, concludit Tamburinus lo-
„ co cit. Audistin.? Etiamsi domus haec
„ aptior sit ad exercendum meretricium,
„ etiamsi locatio domus, & meretricis
„ inhabitatio multum noceret honestis
„ feminis in vicinia commorantibus, li-
„ citum est talem domum in his circum-
„ stantiis meretricibus locare. Hoc eo-
„ dem modo loquitur Diana loco cit. cum
„ Sanchez alijsque laudatis junioribus.

Hactenus ille. Ubi nam peccavit? In extremis v rbis; *Hoc eodem modo loquitur Diana cum Sanchez, aliisque laudatis junioribus*. „ Nam inter laudatos Junio-
„ res, *inquis* sunt etiam hi tres Vasquez,
„ Azorius, & Lessius: Porro falsissimum
„ est, tres istos loqui eodem modo, ac loqui-
„ tur Tamburinus „. Sit ita. Sed inter laudatos Juniores erant etiam hi sex, Ledesma, Trullenchus, Salonius, Castropalaus, Salmanticenses, Sporerius. Nam Concina habet hoc modo loco cit. „ Af-
„ firmant communiter recentiores San-
„ chez lib.1. in Decal. cap.7. num.2.
„ Azorius lib.12. cap.18. quaest.3. Vas-
„ quez opusc. de Scand. quaest.43. art.8.
„ dub.5.

,, dub.5. n.48. *Ledesma* tom.2. tract.8.
,, cap.32. concl.14. quaest. 1. *Trullenchus* lib.1. cap.6. dub.5. num.16. *Diana* tom.7. coord. tract.5. ref.29. *Lessius* lib. 2. cap.24. dubio 7. *Salonius* in 2. 2. quaest.77. art.4. contr.6. *Castropalaus* disputat.6. punct.112. *Salmanticenses* tract.21. cap.8. punct.5. num.65. *Sporerius* tract.5. cap.1. sect.3. n.90. Tamburinus lib.5. inDecal.§.4. n.34.,,
Quare hos praetermisisti? Quare non integrum Concinae locum descripsisti? Scilicet ut ejus extrema verba: *Hoc eodem modo loquitur Diana cum Sanchez aliisque laudatis junioribus* caderent in Azorium, Vasquesium, & Lessium, pateretque tibi ad Concinam accusandum via. Hoc non decet vindicem veritatis, quae tamen passa non est injuriam abs te sibi fieri, voluitque etiam ab invito defendi. Sic est: accusatio tua est Concinae defensio. Nam cum Lessio, Azorio, Vasquesio nominatis, ceteros omiseris, te ipsum vidisse ostendisti, nisi omitterentur, non esse locum accusandi, & posse extrema Concinae verba, quae non omnes omnino comprehendunt, ad alios duos, vel tres, qui revera sint Tamburino consentientes, commode

mode referri. Nam si Concina omnes omnino comprehendere voluisset laudatos auctores, haud dubie dixisset: *Ita loquitur Diana cum Sanchez, & omnibus aliis laudatis junioribus*. Itaque supersedere poteras tot testimoniis conquirendis, quibus ostenderes, Azorium, Vasquesium, & Lessium a Tamburino dissentire. Do tibi quod vis. Tantum restitue ceteros in eum locum, e quo sustulisti, & periculum non erit, ne quisquam tribus illis assignet, quod ex omni numero aliis tribus, aut quatuor, puta Salmanticensibus, Salonio, Sporerio, & Castropalao, qui sane a Tamburino non discrepant, tribuendum est.

XXII. Agis iterum de Azorio C. IIC. ubi etiam Suaresium, & Reginaldum. falso ab Concina Tom. X. pag. 103. in subsidium opinionis, quam non defendunt, appellatos fuisse contendis. Est ibi quaestio: *An pretium pro usu scientiarum accipere sit Simonia*. Ex qua haec Concinae verba describis. „ Ad Sacram „ Theologiam quod attinet, si accipiatur pro cognitione divinitus infusa mysteriorum fidei, & divinarum scripturarum, eam vendere, & pretium pro *Rursus de Azorio.*

 „ eadem

„ eadem accipere, simonia est, ut patet
„ ex ijs, quae dicta de Concionatoribus
„ verbum Dei adulterantibus sunt. Sal-
„ manticenses loc. cit. num.41. putant
„ valde probabilem sententiam contra-
„ riam, quam defendit P. Suarez lib.4.
„ cap.8., Reginaldus lib. 23. cap. 112.
„ Azorius 3. part. lib.12. cap.18. quae-
„ stion.6.

His descriptis, „ Oro, *inquis*, P.
„ Concinam, ut legat in fonte omnes,
„ quos in hoc opere citat. In Suario, Re-
„ ginaldo, Azorio ne verbum quidem
„ inveniet, ex quo exculpere possit, eos
„ defendere sententiam contrariam, idest
„ defendere, posse vendi absque simonia
„ sacram Theologiam acceptam pro co-
„ gnitione divinitus infusa mysteriorum
„ Dei, & sacrarum scripturarum.

Si Suarez, Reginaldus, & Azorius non sunt in hac opinione versati, non modo abs te Concina, sed olim a tuis orandi erant Salmanticenses, ut eos expungerent. Nam Concina hos legit, & scriptum ab iis invenit: Tract.19. cap.2. punct. 6. num.41. edit. Lugdun. 1679. „ Quam-
„ vis sit valde probabile hanc (Theologi-
„ am acceptam pro cognitione mysterio-
rum)

„ rum) non esse materiam simoniae, ut
„ docent Suarez lib.4. cap.8. num.14. Re-
„ ginaldus lib.23. num.112. Azorius 3.
„ part. de Simonia lib.12. cap.18. quae-
„ stion.6. vers. *Quid si quisquam*.

Quum octoginta, & eo amplius sint anni, ex quo scripserunt Salmanticenses, & nemo vestrum de eorum errore corrigendo, & his Theologis vindicandis cogitarit, quae res tandem nunc vos movet, ut eumdem in *Christianam Theologiam* ex ipsis derivatum, non dico emendari velitis, quod esset ferendum, sed ita reprehendatis, ut quasi nunc primum a Concina profectus esset, negligentiae, malaeque fidei assignandum putetis? Hoc jam dixi, & iterum dico, vos non equum facere, cum ex omni numero eorum, quos indicat ab Salmanticensibus, vel ab aliquo quopiam magni nominis Casuista laudari, unum & alterum, qui forte falso laudetur, arripitis, ut eum negligentiae, aut malae fidei accusetis. Hos enim omnes nec legit ille, nec se lecturum promisit; imo se non semper legisse, saepe, & multum lectores admonuit. Nam Tom.5., ut cetera omittam loca, pag.150. num.3., postquam ostendit, haud recte fuisse a Tamburino

 in

in subsidium cujusdam opinionis appellatum Azorium: „ Judicent, *inquit*, aequi „ rerum aestimatores, colligantque quid „ fidei tribuere communiter debeant longo illi Auctorum censui, quem saepe „ penes Casuistas offendunt. Si enim „ tempus, & otium suppeterent omnes „ singillatim consulendi, plures sane reperirem, qui non plus ac Azorius illis favent opinionibus, in quarum praesidium citantur „. Quis non jure miretur, eum, qui tam diserte, quid ab se in scribenda Theologia factum esset, aperuit; & ne aliquando sibi fraudi essent Casuistarum, quas describeret, *citationes*, studuit praecavere; accusari tamen ob has ipsas *citationes* etiamnum ab iis, a quibus haec dudum lecta fuerunt, & nisi, quod verisimile non est, lecta fuissent, ignorari nihilominus non potuissent, propterea quod fuissent haec eadem ab Auctore *Chr. Theol.* ut constat inter omnes, publice declarata. Nam quod magna diligentia in Casuistis legendis sese usurum promiserit, & saepe usum esse glorietur, nemo est, qui non statim intelligat, de iis eum loqui, quos nominatim confutavit, quorumque opiniones ex eorum libris ab se descriptas oppu-

oppugnavit. Hoc enim erat non ſolum utile, ſed plane neceſsarium,ut hos omnino adiret,nullique in eorum ſententiis referendis,niſi uni ſibi,fidem adhiberet.Quod quanta diligentia praeſtiterit,haec mea defenſio declarabit. Interim dabo tibi hujus diligentiae argumentum ſane praeclarum. Puto, Noceti, te meminiſſe eorum, quae tibi de Sancheſio reſpondi epiſtola ſuperiore, cum eum male a Concina pro opinione duelli ad vitam, honorem, & res familiares tuendas doleres fuiſſe laudatum; nempe, ita ab Salmanticenſibus laudari. Horum errorem ſitum in numeri unius mutatione. Sancheſium illam opinionem defendere loco abSalmanticenſibus indicato, ſed num.7. non 8. Unum tunc me fugit, Concinam hanc opinionem Sancheſii in Catalogum earum, quae *laxae* illi viſae ſunt, referre, ibique locum Sancheſii (quod mirum eſſet, te non animadvertiſſe) accurate indicare. Nam Tom. 4. pag. 281. in extremo num. 18. habet hoc modo. „ Bene Nav. ait, teneri „ innocentem non acceptare duellum,nec „ indicere, ſi poteſt *occulte illum occi-* „ *dendo* id vitae, honoris, & rerum fami- „ liarium periculum evadere. Quippe

 „ ſic

„ ſic proprium vitae periculum in duello
„ imminens vitabit, & peccatum actoris
„ offerentis, aut acceptantis duellum.
„ Thomas Sanchez lib.II. in Decal. cap.
„ 39. num.7.

Hoc tibi ſit indicio, Concinam Caſuiſtas, quorum opiniones refellit, aut in Catalogum refert, omnino legiſſe, neque in eorum locis indicandis erraſſe. Sed puto, te hoc indicio non egere, & diu ante experiundo cognoviſſe, Concinam hac in re incredibili uſum eſſe diligentia, nullamque tibi reliquiſſe occaſionem accuſandi ſui. Nam quum plurimum temporis, & operae in excutienda *Chriſtiana Theologia* conſumpſeris, ejuſque auctorem tam prolixe accuſes: quas adfers propoſitiones, ex omni numero earum, quas aut data opera refellit, aut in Catalogum refert, falſo tuis attributas, vel diminute deſcriptas? Sane perpaucas, de quibus, cum in eum locum venero, erit mihi accurate reſpondendum. Itaque ad *citationes* Salmanticenſium, & Leandri a Sanctiſſimo Sacramento, aut aliorum Caſuiſtarum confugiſti, quorum errores, ſi qui ſunt in auctorum locis indicandis, tam poſſunt Concinae attribui, quam haereſes Lutheri, & Cal-

Calvini Bossueto, aut Bellarmino;

XXIII. Egi jam tertio de hoc genere accusationis, quod in tuo libello frequenter occurrit, & ostendi omni genere argumentorum non solum esse levissimum, sed etiam a ratione alienum. Deinceps, quotiescumque occurret, satis erit hunc locum, & alios duos prioris epistolae, in quibus illud confutavi, tantum indicare.

Ad rem quod spectat, non nego Suaresium veram docere sententiam; sed quaedam habet loc. ab Salmanticensibns cit. ex quibus visum est illis, eam, quam eidem tribuunt, concludi posse sententiam. Tu, qui Concinam oras, ut legat *in fonte omnes, quos citat*, debueras hos locos, in quibus nonnulla est difficultas, legere, considerataque Suaresii doctrina, & Salmanticensium argumentatione, docere, an isti recte concludant. Mihi magis verborum, quam rerum videtur esse dissidium. Quare rem totam praetermitto.

XXIV. Pergo ad Baunium, de quo Concina Tom.2. *Theol. Christ.* pag.100.; Baunius, *inquit*, loco cit. (Tom.3. lib.2. tract.9. quaest.4.) „ cum Lessio, & uno aut „ altero recentiore laxissimam invexit „ opinionem. Contendit praeceptum e- *De Baunio.*

„ largiendi redditus Ecclesiasticos super-
„ fluos in pios usus esse dumtaxat Eccle-
„ siasticum, quod contraria valeat con-
„ suetudine abrogari. Quare defendit Be-
„ neficiatos tum in Gallia, tum in Hispa-
„ nia non valide modo, sed etiam licite
„ testari de rebus superfluis in usus non
„ pios „. His tu cap.X. recitatis. „ In-
„ vexit? *inquis*, haec est impostura „.
Facile tu quidem invenis imposturas. Tam magnum crimen in una vocula? At quare tandem impostura est? „ Verbum illud
„ *invexit* significat, Baunium fuisse illius
„ opinionis inventorem, vel saltem ante-
„ signanum „. Cave tibi a Grammaticis, Noceti; hi tibi Tullium opponent, 2. offic. *Tantum in aerarium pecuniae invexit*. Obruent te Dictionariis Stephani, Nizolii, Ambrosii, Fabri, Passeratii, Doleti, & ostendi sibi volent, ubi nam verbum *invexit* significet *invenire*, *excogitare*; *inventorem* esse, vel *antesignanum*.

XXV. Sed ego, missis grammaticis, do tibi, quod illi negarent, verbum *invexit* ista significare. At quare tandem Baunius illius opinionis inventor dici non posset? „ Hoc, *inquis*, est falsissimum; siqui-
„ dem multis annis ante ipsum ab aliis
Do-

„ Doctoribus, & quidem non exigui no-
„ minis traditam ipse postea amplexus est.
„ Seligo duos „. Hi sunt Covarruvias, & Garcias, quorum affers prolixa testimonia, quibus eos eamdem, ac Baunius, ostendas tueri opinionem. Qui cum ante Baunium scripserint, concludis, hunc Casuistam dici non posse illius opinionis inventorem. Non recte concludis. Nam cum illi duo sint Canonistae, vere scribere potuit auctor *Theologiae Christianae*, Baunium ex laxitate duorum Canonistarum invexisse in aerarium Casuisticae benignitatis *laxam* opinionem. Quare Theologi tibi quaerendi sunt, qui ante Baunium scripserint, & hanc opinionem docuerint, si vis efficere, eam non a Baunio primum inTheologiam fuisse introductam. At ne sic quidem locus esset imposturae. Nam Concina non ait, Baunium hanc opinionem primum invexisse, sed eum inter primores Probabilistas numerandum esse, qui hanc opinionem in Theologiam Casuisticam invexere. Id enim significat ejus loquendi modus „ Baunius cum Les-
„ sio, & uno, & altero recentiore laxissi-
„ mam invexit opinionem.

XXVI. Hic, calamo posito, facere

vo-

volebam hac de re scribendi finem; eo quod evanuisse videretur hujus voculae impostura. Sed forte in eum locum incidi, ubi sic lectores appellas. „ Sciant lectores
„ hoc esse artificium P. Concinae familia-
„ rissimum; ut de iis sententiis disputans,
„ quas ipse laxas appellat (quas autem
„ ex ipsis, quae libertati favent, non
„ appellat?) quamvis a magnis, pluri-
„ misque Doctoribus, nec raro Domini-
„ canis tradantur; nihilominus vel pro
„ illis solos Jesuitas producat, vel solos
„ Jesuitas nominatim insectetur, solos
„ in legentium oculis conetur infigere,
„ tamquam si essent earum sententiarum
„ fundatores, unici defensores, vel pri-
„ mipili. Quod artificium cum in allato
„ nuper exemplo satis elucet, tum ex iis,
„ quae consequentur, manifestius fiet.
„ Quod quidem utrum apte cohaereat
„ cum ea vacuitate a studio partium,
„ quam tantopere jactat, & credi vellet;
„ alii viderint „. Quum itaque in hunc locum forte incidissem, redeundum mihi fuit ad Concinam,& quid ageret, diligentius perspiciendum. Cupio Lectores idem facere, ut agnoscant *artificium Patri Concinae familiarissimum*. Postquam enim

co-

copiose demonstravit, non solum charitatem, sed etiam justitiam praecipere, ut qui fruuntur Ecclesiasticis beneficiis, quae sibi ex eorum fructibus supersunt, pauperibus distribuant. ,, Dominicus Soto, ,, *inquit pag.99.* non retusi ingenii Theo- ,, logus primus fere omnium data opera ,, invexit opinionem oppositam ,,. Hoc est, Noceti, malignum scribendi artificium, quod lectores agnoscere cupis? Hoc partium studium? Haec libido praetereundi Dominicanos, & solos Jesuitas, cum opinio laxa est, proferendi? Nam si Bannius, & Lessius Soti opinionem deteriorem reddidere, remotaque non solum justitia, sed etiam charitate, unum esse statuerunt praeceptum Ecclesiae, quo tenerentur Clerici ea, quae sibi superessent ex redditibus beneficiorum, pauperibus distribuere, posseque propterea ejusmodi praeceptum contraria consuetudine abrogari, cur Concina taceret? cur dissimularet? Tum praesertim, cum hanc quaestionem diligenter, copioseque tractaret; & ne suos quidem, qui falsa docuissent, praeteriret? At poterat, inquies, Covarruviam, & Garciam nominare. Noli ad istos redire. Canonistas magni facio.
Sed

Sed Theologo res est cum Theologis, non cum Canonistis. Quare cum Theologum invenire non potueris, qui ante Lessium, & Baunium hanc opinionem doceret, nulla erat causa, quamobrem Concinae succenseres, quod eam ab his duobus in Theologiam introductam fuisse indicarit. Illud etiam ex hoc Concinae loco melius intelliges, quomodo sit ei loquendum, qui significare velit, scriptorem, quem nominat, esse alicujus opinionis inventorem. De Soto Dominicano: *primus fere omnium*, inquit, *data opera invexit*. De tuis: *Baunius cum Lessio laxissimam invexit opinionem*. Nimirum non putavit, nisi *primus omnium* adjungeret, verbum *inveho* eum, de quo loqueretur, inventorem esse significare.

XXVII. Secundum haec lectori judicandum relinquis, recte ne hanc opinionem Auctor *Theologiae Christianae laxissimam* appellet; & recte ne solvat a *dispensatione* Pontificum petitum argumentum. Utrumque recte; praesertim si de Baunii & Lessii opinione loquamur: de qua, ut mittam Concinae argumenta, non Sinnichius aut Vendrochius, sed Diana Tom. 4. coord. tract. 7. res. 20. ita pronunciavit:

„ Ego

„ Ego huic ſententiae non aſſentior, „ cum ſit contra communem, & omnino „ reſpuendam eſſe puto. „ Valde *laxam* eſſe oportet opinionem, quam Diana omnino reſpuendam eſſe judicat.

Ad argumentum quod attinet ex Pontificum diſpenſatione petitum, qua re non recte ſolvitur a Concina; cum ait pag. 104. num. 7. auctoritate S. Bernardi: *Plura impertiuntur Pontifices Summi aut mendacio decepti, aut importunitate victi?* An periculum adeſt, ne Romanos Pontifices hoc reſponſum afficiat injuria? Ne vereare; nam, niſi ſufficit tibi D. Bernardi auctoritas, ipſi Romani Pontifices plura se aut *mendacio* deceptos, aut *importunitate* victos concedere fatentur. Audi Gregorium X. in Concilio Generali Lugdunenſi II. relatum cap. unic. de religioſ. domib. conced. in 6. „ Religionum „ diverſitatem nimiam, ne confuſionem „ induceret, Generale Concilium con„ ſulta prohibitione vetavit, ſed quia „ non ſolum *importuna petentium inhia„ tio* illarum propemodum multiplica„ tionem extorſit &c. „ Audi Bonifacium VIII. relat. cap. 2. de conceſs. praeb. in 6. „ Quaedam *per importunita„ tem*

„ *tem* nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, & *ambitionem improbam* ut plurimum *extorquentur*. Audi rursus eumdem in cap. ult. de rescriptis in 6. „ Quia *per ambitiosam importunitatem petentium* tam nos, quam nonnulli Praedecessores nostri Romani Pontifices, indulgentias perpetuas multis concessimus.

Obruere te possem ejusmodi testimoniis. Sed his contentus ero. Te contentum esse oportebat Concinae *Declaratione*; in qua pag. 6. „ hoc responsum, *inquit*, attuli, quia posito, quod Beneficiatis *jure divino*, & *non jure tantum Ecclesiastico* prohibitum sit in favorem consanguineorum testamentum facere, nescivi responsionem meliorem invenire, quam si quis parum reverentiae erga summos Pontifices continere judicabit, rejicio, atque abominor.

Quid erat causae, Noceti, cur post hanc declarationem, rursus ei ob hanc *responsionem* invidiam conflare studeres? Hic fidem tuam appello. Nam, si Tamburinus, postquam Deum exemp. causs. amari non oportere, aut licere calumnia fal-

falsum testem obruere docuisset, lapsum esse se, edito libello, declarasset, quid illi faceres, qui non ei ignoscendum, erroremque rursus objiciendum putaret? Quid illi faceres? Vidimus in ejus *retractatione*, vidimus in Amici *declaratione*. Quas si tanti a Concina fieri volebas, quanti libello tuo ostendisti, quid est, quod ei ne post quidem, quam publice accusatus omnibus, quae sibi objecta fuerant, satisfecit, ignoscendum putasti? Quae te res publico judicio, in quo lis composita fuit, sanctior, atque augustior, quin eum amplius accuses, deterrebit? Id autem eo magis miror, quod, cum Concina non aliud sibi praesto fuisse dixerit melius responsum, quo illud argumentum solveret; tu, quin ei hoc melius responsum, si quod erat, ostenderes; ad id, quo usus erat, reprehendendum redieris. At quid quaeris, amabo te, rursus hoc responsum criminando, & argumentum illud objiciendo; quid a Concina expectas? ut is tandem veterem relinquendam, novamque Soti, atque etiam Lessii, & Baunii statuat amplectendam esse sententiam? Nunquam impetrabis. Nam veterum sententia firmior est,

est, quam ut ullo argumento convelli possit, petitumque a *dispensatione Pontificum* tam bene solvitur, ut, quemadmodum ostendi, parum absit, quin responsum ab ipsis Romanis Pontificibus videatur esse profectum.

Denique si tam delicatus es, ut nihil ferre possis, quod Romanorum Pontificum ejusmodi *dispensationibus* adversari videatur, cavendum perpetuo tibi erit a scriptis magnorum Virorum de his rebus differentium legendis, propterea quod omnia ejusmodi responsis referta sunt, quibus has Pontificum *dispensationes* nihil iis prodesse demonstratur, a quibus impetrantur. Unum, si ferre potes, lege Robertum Bellarminum in *admonitione* ad Episcopum Theanensem *nepotem suum edit. Roman. ann.* 1677. ubi *Controvers. 6. de Multiplicit. Benef.* „ Sed quia multi,
„ *inquit*, multa beneficia ex dispensatio-
„ ne Pontificia possident: sciendum est,
„ Pontificiam dispensationem, quando
„ non adest justa causa dispensandi, *va-*
„ *lere in foro fori, sed non in foro poli*,
„ ut aperte docet S. Thomas *quodlib. 9.*
„ *art.* 15. ubi postquam retulisset illa
„ verba S. Bernardi: *qui non unus, sed*
„ *plu-*

„ *plures est in Beneficiis : non unus sed*
„ *plures erit in suppliciis* , postea haec
„ subdit : habere *plures praebendas &c.*
„ . . . . . Itaque & Papa sine legi-
„ tima causa dispensans graviter delin-
„ quit , & ejus delictum non liberat am-
„ bientem , obtinentem , & retinentem
„ a culpa . „ Puto Concinae responsio-
nem hac Bellarmini multo esse leniorem .

XXVIII. Sermonem iterum instituis de Baunio Cap. XXX. ubi mirare , non satis persuasum esse Concinae , eum auctorem non fuisse damnatae propositionis : *Accipere Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia , propter quam velit, & possit damnare hominem.* Utar autem, ut soleo, a te descripto Concinae loco, quo rem facilius exponam . Quaerit is Tom. 3. pag. 408. „ An qui in re levissi- *Iterum de Baunio.*
„ ma falsum jurat , peccet mortaliter ?
„ . . . . . . Auctor Theologiae
„ moralis Jesuitarum , & Henricus a S.
„ Ignatio in Prolegomeno I. cap. 1. hanc
„ eamdem sententiam (peccare solum
„ venialiter) adjudicant Baunio in sum-
„ ma pag. 65. edit. XV. , ubi eam docet
„ his verbis : *Vocare Deum in testem*
„ *mendacii levis non est tanta irreveren-*

„ *tia, propter quam velit, aut possit dam-*
„ *nare hominem*: quae propositio est 24.
„ inter damnatas ab Innoc. XI. Domini-
„ cus Viva in sua Trutina Theologica in-
„ terpretatur, Baunium admittere par-
„ vitatem materiae in juramento dumta-
„ xat *promissorio*. Sit ita: libenter siqui-
„ dem & nos sano in sensu, quoad fieri
„ potest, Catholicos Scriptores inter-
„ pretamur. Quod negotium facessit,
„ est, iisdem omnino verbis esse concep-
„ tam propositionem damnatam ab Inno-
„ centio XI.; quam cum ceteris Theolo-
„ gis ipse Viva testatur proscriptam fuis-
„ se in sensu juramenti assertorii, non
„ promissorii. Utcumque res ista se ha-
„ beat, ratio proscriptae propositionis
„ est evidens.

Nescio, quae te causa impulerit, ut contentus non esses Concinae facilitate, qua Vivae assensus est ajenti, Baunium de juramento, ut vocant, *promissorio* esse locutum. „ Sit ita, *inquit*, libenter „ siquidem & nos sano in sensu quoad fie- „ ri potest, Catholicos Scriptores inter- „ pretamur. „ Quamvis autem negotium sibi facessere dixerit, quod iisdem verbis Baunii, & damnata constet propositio;

ſitio ; ita tamen orationem concluſit, ut quivis intelligere poſset, non ullam eum cum Viva litem hac de re inſtituere velle. Quid amplius deſiderare poteras ? Ut Baunii loco deſcripto demonſtrandum ſuſciperet, quemadmodum abs te factum eſt, Baunium in eo errore non eſse verſatum ? At ſcito, Noceti, periculum eſſe, ne tua argumentatione illud etiam amittas, quod Concina Vivae conceſſit. Illud eſt mirabile, quod adeo argumentationi tuae confidis, ut, quaſi re confecta, triumphum agas, & Concinae inſultes ob lectam in Henrico a S. Ignatio, & Auctore *Theologiae Moralis Jeſuitarum* Baunii opinionem. „ Si Henricus, *in-*
„ *quis*, a S. Ignatio, & Auctor *Theolo-*
„ *gice Moralis Jeſuitarum* non avulſiſsent
„ a ſuo contextu praedictam propoſitio-
„ nem, ſententiam damnatam Baunio
„ non adjudicaſsent. Et ſi P. Concina
„ non legiſset Baunium in his auctori-
„ bus, ſed collegiſset neceſſitatem le-
„ gendi auctores in fonte, nihil fuiſset,
„ quod negotium ipſi faceſseret, & in-
„ terpretationi P. Vivae facilius acquie-
, viſset.

XXIX. Ego, Noceti, nunquam at-

 tigi

tigi Henricum a S. Ignatio, Auctoremque *Thelogiae Moralis Jesuitarum*, quibus nunquam me egere putavi, ut cognoscerem errores probabilistarum. Legi nunc primum in tuo libello hunc Baunii locum. Legi argumentationem tuam, ex quibus nihil aliud elicere potui, nisi valde dubium esse, de quo is juramento *assertorio* ne, an *promissorio* loquatur. Dixi dubium esse; nam mihi ex eo, quod tu non avellisti, quemadmodum Henricus a S. Ignatio, & Auctor Theologiae Moralis Jesuitarum *a suo contextu praedictam propositionem*, certum videtur, eum loqui de juramento *assertorio*, proindeque damnatam docuisse propositionem. Sed nolo, quod mihi certum est, aliis ut certum proponere, tibi praesertim, cui valde difficile esset tam subito in contrariam partem mentem transferre. Itaque, quare tibi non assentiar, lectoribus exponam, a quibus, si forte male ratiocinor, non expecto, ut imposturae mihi crimen objiciant.

Recita Baunii locum. „ Nequit fie-
„ ri peccatum veniale, ad quod quis se
„ obligavit per juramentum, quin no-
„ vum committatur. Toletus lib. 4. cap.
„ 21. Covarruvias de pactis 1. part. §. 6.
„ Ad-

„ Additur quod emittendo hoc juramen-
„ tum, peccatum est mortaliter juxta
„ opinionem aliquorum. S. Th. 2. 2. quaest.
„ 89. Theologi in 3. sententiarum dist.
„ 29. Less. lib. 2. de Just. dub. 4. nu. 18.
„ Quia species est blasphemiae accipere
„ Deum veluti fidejussorem offensae, &
„ vadem pravae voluntatis, qualis illa
„ est, quam habet, qui se determinat
„ ad aliquam culpam, quantumvis venia-
„ lem. Contraria nihilominus opinio ha-
„ bet fautores suos (nempe non esse pec-
„ catum mortale illud juramentum) ut
„ S. Antoninum 2. part. tit. 10. cap 4. §.
„ 3. Sotum lib. 8. quaest. 2. art. 3. Valen-
„ tiam Tom. 3. disput. *6.* quaest. 7. §. 3.
„ Et possumus illam sequi sub considera-
„ tione; quod accipere Deum in testem
„ mendacii levis non est tanta irreveren-
„ tia, propter quam velit, & possit dam-
„ nare hominem.

Recita argumentationem tuam. „
„ Relato summa fide textu, evidenter
„ ostendo, quamvis fortasse lectorum
„ oculis statim patuerit, sermonem esse
„ de juramento promissorio: & sensum
„ illorum verborum *in testem mendacii*
„ *levis* esse in testem mendacii levis *pro-*

„ *ferendi, & juramento promissi*, non
„ vero in testem mendacii levis *in jura-*
„ *mento, & cum juramento* prolati. Osten-
„ do primo ex verbis ipsius Baunii. Bau-
„ nius per illa verba: *nequit fieri pecca-*
„ *tum veniale, ad quod quis se obligavit per*
„ *juramentum*, loquitur de juramento,
„ quo quis se obliget ad committendum
„ peccatum veniale; atqui juramentum,
„ quo quis se obliget ad committendum
„ peccatum veniale est *juramentum pro-*
„ *missorium*. Ergo. Praeterea Baunius
„ per illa verba *accipere Deum fidejusso-*
„ *rem offensae, & vadem pravae volunta-*
„ *tis, qua quis se determinat ad aliquam*
„ *culpam quantumvis venialem* loquitur
„ de juramento, quo quis vocat Deum in
„ testem offensae faciendae, & executio-
„ nis pravae voluntatis, qua determinat
„ committere aliquam culpam quamvis
„ venialem. Atqui juramentum hujus-
„ modi est promissorium. Ergo.

Omnia tibi concedo. Ecquid enim clarius, etiam sine tua argumentatione, quam Baunium hoc loco inquirere, peccet ne graviter is, qui se facturum juret aliquod leve peccatum? Et idcirco mirum non est si eos laudat, qui de juramento pro-

promiſsorio loquuntur. At nihil proficis. Extrema verba negotium exhibent: *Et poſsumus eam ſequi ſub conſideratione, quod accipere Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, & poſſit damnare hominem*. Nam ex te quaero, an quod ait hic Baunius: *Accipere Deum in teſtem mendacii levis*, intelligi velis de mendacio, quod dicitur, & jure jurando confirmatur, an de eo, quod quis se dicturum promitteret. Si primum: ergo loquitur de juramento *aſſertorio*, proindeque damnatam docuit propoſitionem. Sin alterum reſpondes; valde ineptam ob *petitionem*, ut ajunt, *principii* reddis ejus orationem. Eſset enim hujuſmodi. Poſsumus ſequi opinionem, quae negat graviter eum peccare, qui se aliquod leve peccatum patraturum juraret, *ſub conſideratione*, quod non eſt grave peccatum, ſi quis in relevi se mentiturum juraret. Sive, ut ſignificantius, quod volo, exponam, perinde eſt ac ſi diceret: Propterea non eſt grave peccatum id juramento promittere, quod eſt leve peccatum, quia grave peccatum non eſt, ſi quis jurejurando promittat, se obulum furaturum. Videre te

puto hoc esse vitiosum ratiocinandi genus; id enim affertur rationis loco, quod quaeritur in generali propositione. Non ita Baunius, qui ex eo, quod magnum crimen non esse putaret, si quis in re levi pejeraret, concludere voluit, ne illum quidem graviter peccaturum, qui se aliquid facturum juraret, quod esset leve peccatum. Vidit enim, quod res est, cum concesseris superius, etiam inferius esse concedendum.

Huc accedit, quod ab eo, qui se mentiturum jurat, non appellatur, ut ait hic Viva num. 10. „ Deus testis ad testan-„ dum falsum, quod graviter derogat „ suae summae veracitati, sed solum in-„ vocatur ad testandum verum, nempe „ ad testandum, quod detur propositum „ de patranda culpa veniali. „ Atqui Baunius loquitur de eo, qui Deum appellet *testem mendacii levis*. Ergo loquitur de eo, qui mendacium, quod dicit, jurejurando confirmat, non de eo, qui juret se mentiturum. Ita de Baunio ex tuo libello judicandum est. Nam *Summae* Baunii editionem nullam indicas; eam autem, quae ab Concina indicatur, videre non potui.

Dis-

XXX. Differis Cap. XLVI. & LXII. de eodem Baunio, de eadem re, eodem fere modo. Quare satis erit ea diluere, quae scribis eo Cap. LXII. Hic vendicatur; *inquis*, ab repetita impostura P. Baunius. „ Nam Concina Tom. *6*. pag. 438. alteram, *ait*, Casuisticam opinionem, quam „ docent Baunius, Escobar, Bonacina, „ & Leander a SS. Sacramento, te videlicet posse plures Missae partes simul audire a diversis Sacerdotibus, ab uno usque ad consecrationem, ab altero usque ad finem, & praecepto satisfacere, „ damnavit Alex. VII. (Innoc. XI. ut recte „ scriptum est Tom. 5. pag. 77.) *Satisfacit* „ *praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro*, „ *qui duas ejus partes, imo quatuor simul a* „ *diversis celebrantibus audit*.

De Baunio Tertium.

Hic ut imposturam invenias voculae *praxis*, qua utuntur Casuistae, significationem exponis. „ P. Baunius, *inquis*; „ non docet illam opinionem. Docere „ enim opinionem aliquam significat apud „ omnes, illi adherere ut propriae, illam „ praeferre oppositae, illam putare, vel „ unice veram, vel saltem contraria probabiliorem. Porrò Baunius nihil horum „ praestat, sed relata primo loco sententia

„ tia negante satisfieri praecepto per il-
„ lam simultaneam auditionem, & secun-
„ do loco sententia adfirmante, nunc da-
„ mnata, ait: *Haec secunda sententia,*
„ *quamquam probabilis, tamen in praxi*
„ *non est sequenda, sed prior*. Quibus ver-
„ bis non modo non adhaeret illi opinio-
„ ni, ut propriae, non modo illam non
„ anteponit oppositae, non modo non re-
„ putat opposita probabiliorem, sed op-
„ positae longe postponit, sed reputat il-
„ lam multo minus probabilem: siquidem
„ neque illi concedit probabilitatem *pra-*
„ *cticam*; Probabilistae enim non prohi-
„ bent sequi *in praxi* opiniones *practice*
„ probabiles. Vide alia, quae ibi (Cap.
„ XLVI.) dicta sunt.

Sunt horum similia. Sed scire velim, quo tandem modo in una vocula *praxi* tot significationes invenire potueris. Quando ergo Casuista, postquam aliquam opinionem probabilem esse pronunciavit, adjunxit, *in praxi non esse sequendam*, non amplius eam docet, non illi assentitur, pene repudiat? Impostura est, ceteris, qui eam docuerunt, hunc annumerare? Non est hic locus Stephanis, Fabris, Ambrosiis, Nizoliis: adeamus Probabilistas, &

ex

ex eis quid sibi velint, cum dicunt opinionem *in praxi non esse sequendam*, videamus. Duobus contentus ero, Tamburino, quem non dubito, quin magni facias, & Leandro a SS. Sacramento. Hic de hac ipsa quaestione differens Tract. 2. disp. 1. quaest. 56. postquam eam nonnullis rationibus confirmavit; „ Et ideo, *inquit*, illam „ tenent saltem ut probabilem Azorius „ 1. part. lib. 7. quaest. 7..... Molsef. Tom. 1. „ Summ. tract. 3. cap. 17. num. 36. in fin. „ & Bauny Tract. 6. de Sacrif. Missae tit. „ de praecept. audiendi Missam quaest. 9. „ pag. 312. addentes tamen, & bene, in „ praxi consulendum esse oppositum, *eo* „ *quod sit magis pietati consentaneum* „. Intellextin, quid velint Casuistae, cum aliquam opinionem ajunt *in praxi non esse sequendam*? Non eam se non docere, non falsam judicare, non adversari praecepto; sed esse pietati magis consentaneum, ut contrariam sequamur. Quo quid dici potest verius? An, etiamsi Casuistae non dicerent, quivis per se non intelligeret, majoris esse pietatis, probabiliorem sequi opinionem? Sed parum prodest, postquam opinionem hominum commodis, imbecillitati, libertatique accomodatam dixeris esse

esse probabilem, clamare, contrariam magis esse pietati consentaneam. Nam experiundo cognovimus, non ex eo, quod aliae aliis sint sanctiores, sed ex eo, quod sint commodiores proficisci, ut quaedam negligantur, & obsolescant, quaedam ad vitae consuetudinem facile traducantur. Et sane non operosius Casuistae, quam e suggestu sacri Oratores perfectiora quaeque Christianis inculcant; & tamen quota quaeque horum pars, quod perfectius est, factuque sanctius consectatur. Idcirco mihi placet hac in re Tamburinus. Nam ceteri Casuistae, qui negant aliquam opinionem, quam probabilem judicarunt, *in praxi* esse sequendam, secum ipsi pugnare, sibique non constare videntur. Tamburinus sibi constat; ait enim in *metodo expedit. Commun. edit. Roman.* 1648. in monitione ad Lectorem: „ Cum „ sententiam quampiam probabilem, seu, „ quod idem est, non improbabilem in „ hoc, vel in aliis Opusculis meis appel„ lo, illud dico, eam te sine peccati scru„ pulo amplecti, *atque in praxi sequi tu*„ *to posse* „. Nunc edicito, Noceti, utrum horum sequi malis. Nam si Tamburinum: ergo Baunius, cum ait, eam opi-

opinionem *in praxi* non esse sequendam, id adjunxit, quod cum ejusdem probabilitate repugnat. Sin autem Leandrum probas: id sane adjunxit, quod erat superfluum, & illi impune tacere licuisset.

XXXI. Sed duo restant, quae ad Concinae defensionem magnopere conducunt. Non enim solus Baunius; sed etiam alii Casuistae, ut constat ex Leandro, hanc opinionem ita defendebant, ut dicerent *in praxi non esse sequendam*. Quod si perinde valet, ut dicis, ac *eam non docere*; aut damnata propositio nullius est Casuistae, aut imposturae reus erit Innocentius XI. qui hanc Casuistarum damnavit opinionem, quam illi *in praxi* sequendam esse, negabant.

Denique negare non potes, damnatam propositionem eam esse, quam Diana, Escobarius, & Leander defenderunt; quam si Baunius non defendit, cur tulistis, eum a Leandro laudari? Cur Jesuitis, qui censores fuerunt operum Leandri, & ea tantopere laudarunt, curae non fuit, ut Baunii nomen ex Catalogo eorum, qui eam propositionem defendebant, omnino expungeretur? Hic, Noceti, semper haerebis, & numquam poteris causam affer-

re,

re, cur veteres Casuistae tam multa tulerint impune, quae nunc in Auctore *Christianae Theologiae* imposturas appellas.

De Busembau. XXXII. Dicendum modo est de Busembau. Cap.XLIII. hunc Concinae locum describis ex Tom.4. pag.456. „ P.Claudius La-Croix lib.3. part.1. num.916. „ ex Busembau, & Taberna dicit: puellam „ non peccare, si ob evidens periculum „ mortis, vel ingentis infamiae non adhibeat omnia omnino media ad depellendum stupratorem; v. g. Si hunc, cum „ possit, non occidat, si non inclamet viciniam, sed mere patiatur coitum, tamen secluso omni periculo consensus. „ Et licet hanc propositionem editis libris teneant auctores plus quam 50. „ tamen non expedit eam publice proponere, aut defendere, quia apta est causare abusus, praesertim apud rudes.

Et paulo post subdit:

„ Cornelius a Lapide linguarum peritia, eruditione, atque doctrina inter „ divinae scripturae interpretes valde „ conspicuus recensitae opinioni auctoritatem conciliavit.

Et

Et paulo infra.

„ Dico ergo, laudatam ſententiam
„ Cornelii a Lapide, aliorumque recen-
„ tiorum falſam, improbabilem, & la-
„ xam eſse, atque cum ſacra Scriptura
„ manifeſte pugnare.

His locis deſcriptis „ Hic habemus,
„ *inquis*, injuſtam criminationem adver-
„ ſus Buſembau, & La-Croix; & invi-
„ diam injuſtiſſime conflatam Cornelio a
„ Lapide. Buſembau praefatam opinio-
„ nem non propugnat, illam non tractat,
„ illam non attingit „.

Non abnuo: Nam Concina legens indica-
tum La-Croixii locum: „ Etiam eſt cer-
„ tum, quod coitus cum non ſua ſit adul-
„ terium. Nam Innocentius XI. damna-
„ vit hanc 50. propo: *copula cum conjuga-
„ ta conſentiente Marito &c.* Et rationem
„ dat Buſembau num.915. relatus.3. Ta-
„ berna part.1. Tom.1. cap.3. §.1. dicit:
„ puellam non peccare ſi ob evidens peri-
„ culum mortis &c. „; Hunc, inquam, lo-
cum Concina legens non ſatis animadver-
tit, quod apparet facile fuiſse accidere,
Buſembaum ad priorem, Tabernam ad
poſteriorem ſententiam pertinere. Itaque
ſatis tibi fiet ſublato ex hoc Concinae lo-
co

co Busembau. Numquid amplius vis? Scilicet, inquies: ut mihi concedas, Concinam injuste criminatum esse Busembau. Qui possum hoc tibi concedere, quando tu ipse perspicillorum vitio errorem accidisse fateris? Nam Concinae suades „ Ut
„ perfectiora perspicilla comparet sibi,
„ quando ipsi Auctores Societatis legen-
„ di sunt „. Neque enim hoc te irridendi causa dixisse puto, propterea quod facile cognosceres, non potuisse Concinae in mentem venire, ut postquam tam multa ex Casuistis collegerat, quae vere confutaret, quidquam uni, & alteri data opera falso attribueret. Magni facio, Noceti, hoc argumentum, quod iterum nunc oppono, & saepe repetam, quando quidem scio apud plerosque Concinae fidem in tuto posuisse.

XXXIII. Itaque, misso Busembau, satis erit, quod opponis de Cornelio a Lapide, paucis diluere. Nullum hic objicis imposturae crimen, sed nimis avide a Concina arreptum fuisse doles hunc Cornelii errorem de puella, quam, si velit improbus stuprum inferre, negat pudicitiae tuendae causa clamare, & vociferari debere; additque Susannam, quae hoc in-

jecto

jecto terrore, vociferata est, plus fecisse, quam officium, & amor pudicitiae postulassent. Sed quare Concina hunc errorem non arriperet, aut Cornelium a Lapide non nominaret? Primum quod dicis, hunc Casuistam non esse, neque ita legentium manibus teri, ut eum refelli oporteret, leve est: quamvis enim Casuista non sit; non jacet tamen situ, & squallore, legiturque omnino a quamplurimis, praesertim a Parochis, sacrisque Oratoribus, a quibus eo facilius potest error probari, quo gravior est auctor, a quo docetur. Deinde non nego Cornelium a Lapide, doctum hominem, imprimisque linguarum peritum fuisse; sed nulli minus, quam tibi moleste ferendum erat, eum a Concina confutari, nisi forte tanti facis, ut eum omnibus antiquis Doctoribus velis anteponi. Mitto dicere de Augustino, & Thoma, Aquinate, quos scriptis saepe apologiis adversus eorum criminatores, quos probe nosti, defendi oportuit. Hos, inquam, mitto, ut tecum de te uno loquar. Nam si licuit tibi, ut Sanchesium defenderes, putidissimum Ludovici Bail adversus omnes antiquos Doctores initio libelli tui describere convicium: *Ex omnibus antiquis*

Doctoribus seligendo ea solum, quae in ipsis infirmiora sunt, cento impurus, & odio habendus conficeretur; multo magis Concinae licuit unum Cornelii a Lapide errorem confutare. Et sane Concina reprehendi nullo modo potest, propterea quod Cornelius a Lapide revera in errore versatus est: at omnes antiquos Doctores ita de moribus scripsisse, ut erratis quibusque collectis, cento impurus, & odio dignus confici posset, calumnia est, (constanter dico, non enim tecum ago, sed cum Ludovico Bail homine inconsiderato), quae ferri non potest. Atque ego non dubito, quin, si tibi in mentem venisset Barbeiracii, qui ejusmodi centonem conficere conatus est, ab Ludovico Bail laudando tibi temperavisses. Simul enim atque hunc centonem, etsi valde invidiose a Barbeiracio confectum, cum eo contulisses, qui ex uno,& altero Casuista confici potest,facile intellexisses,nihilesse difficilius,quam, non dico ex singulis, sed ex universis antiquis Doctoribus tantum colligere falsae doctrinae, quantum in uno, vel duobus Casuistis reperitur. Nam si nomine *antiquorum Doctorum* non prisci Ecclesiae Patres, quos Barbeiracius vexavit, sed Principes

cipes Scholasticorum Thomas Aquinas, Bonaventura, Albertus Magnus, Scotus, Alexander Alensis, aliique intelligendi sunt, cupio videre, an quisquam valeat ex his quoque centonem conficere similem ejus, quem dixi ex uno, & altero Casuista confici posse. Haec eos etiam intelligere velim, qui cum audiunt, Casuistas accusari, vel de iis abjiciendis sermonem institui, continuo respondent, etiam Veteres errasse, neque propterea quemquam velle, ut abjiciantur. Proh Deum immortalem! Ecclesiae Patres, vel antiqui Doctores, cum de moribus scriberent, tam frequenter, tam turpiter, in rebus tam perspicuis errarunt, ac plerosque Casuistas errasse perspicimus? Fuitquisquam eorum, qui Deum ex.gr., aut semel, aut numquam in vita amandum esse diceret? Qui doceret *peccatum Philosophicum*, *mentis restrictiones*, *intentionis directionem*? Quid igitur, inquies, his faciendum putas? Non est aliud, quod facere possimus, nisi ut eos deseramus: alioquin periculum est, ne non homines, sed magis doctrinam amare videamur.

XXXIV. Sed redeo ad Cornelium a Lapide. Illud enim praeterea opponis,

eum a nullo Casuista ex iis, qui tuentur hanc opinionem, nominari; sed ejus errorem ex sinuosis voluminibus, in quibus latebat, erutum ab Henrico a S. Ignatio fuisse, & hoc duce, Concinam cognovisse. Non est mirum, Noceti, Cornelium a Lapide a nullo Casuista nominari. Scis enim huic Scriptorum generi non magnae curae fuisse, ut ipsi saepe professi sunt, quae Patres, aut divinae scripturae interpretes de moribus scripsissent, inquirere; & sui similes dumtaxat legere consuesse. At non erat Concinae eos imitari. Quid? Putas eum, uno lecto, & altero Casuista, nihil attigisse solidarum disciplinarum? Numquam Patres in manibus habuisse? Numquam divinam Scripturam, ejusque interpretes legisse, ut non posset sine Henrico a S. Ignatio, quae Cornelius a Lapide de Susanna scripserat, cognoscere? Sed haec omittamus, nam praestat illa proferre, quae magis ad eum defendendum, quam laudandum conducunt. In libro, quem scripsit contra spectacula, insignis est locus pag. 60. Cornelii a Lapide, quo probat, nec viro muliebri, nec mulieri virili veste uti licere. Est item in *Theol. Christiana* Tom. 2. pag. 273. alter ejusdem Cornelii insignis

locus

locus, quo Concina demonstrat, non licere in Urbibus Christianorum esse caetus Meretricum. Nunc paucis te volo. Quo duce, tibi videtur Concina hos locos cognovisse? A quo Henrico hanc doctrinam, quae perinde ac error, quem supra indicavi, in sinuosis Cornelii voluminibus latebat, didicisse? Quo denique animo eam protulisse? Non expectabo dum mihi respondeas. Constat enim, eum ambitiose usum esse Cornelii a Lapide auctoritate, ut eum sibi in difficilibus quaestionibus exponendis consentientem esse demonstraret, Lectoribusque persuaderet, se, quae bona esent, & rationi consentanea, ab omnibus indiscriminatim accepisse. Ejusmodi Scriptorem ab omni partium studio; & obtrectandi libidine alienum esse qui negat, non video, quem tandem ab iis vitiis liberum esse judicabit. Nam ut eorum, quos laudaret, bona, aut probabilia dumtaxat proferret, errores, si qui esent, omnino praeteriret, non erat ab eo postulandum.

XXXV. Denique unum restat de Soto. Illud enim criminaris, quod Concina hunc Theologum, qui eamdem, quam Cornelius a Lapide, a quo laudatur, opinio-

nionem defendit, conetur excusare. Fateor, sed ita, ut nolit ab errore, nisi possit, defensione sua liberum judicari. ,, Ut ,, minus igitur, *inquit*, Tom.4. pag.457. ,, ambigua est Soti opinio. Quod si per- ,, sistas, Theologum hunc favere doctri- ,, nae Casuistarum; Esto: quid inde? Aeque ,, Soti Dominicani, atque exterorum ,, auctorum propositum mihi est opinio- ,, nes laxas refellere ,,. Isto modo, Noceti licebit tibi, cum voles, tuos defendere. Nemo enim tibi succensebit, si, cum eo pervenire non poteris, ut certo statuas, auctorem, quem defendis, ab errore liberum esse, perinde, atq; a Concina factum est, contentionem abjicies, & liberum cuique relinques de re tota judicare. Quare supersedere poteras longa disputatione, qua vinceres, Sotum in eadem opinione esse versatum. Id enim Concina ultro dedit, quod ab eo multis verbis extorquere conaris. At Cornelio a Lapide, inquis, non Soto in Indice haec opinio tribuitur. Fateor: sed quid illi facias, qui Indicem confecit? Nolo nunc de eo sermonem habere. Quando tamen & hoc novo, & inaudito accusationis genere agendum putasti contra *Christianam Theologiam*, dicam etiam

de

de Indicis confectore, sed tempore; ostendamq; tibi, magis eum peccasse, quod plura praetermisit digna sane, quae notarentur, quam quod omnia, ut quereris, nimis invidiose in conspectum protulerit.

Illa etiam querela supersedendum erat pag. tui libelli 102. „ Hoc est unum, „ & quidem frequentissimum ex multis „ artificiis, ob quae de P. Concina jure „ querimur. Plurimas sententias, quas „ ipse censuris, notis, conviciis dehone„ stat, aeque docuerunt Jesuitae, & Do„ minicani, *imo a Dominicanis Magistris* „ *Jesuitae Discipuli didicerunt*. Nihilo„ minus, ut plurimum, in solos Jesuitas „ nominatim invehitur, in eos solum de„ clamat, eos solum objectat lectorum „ oculis; atque, ut ita dicam, ad exci„ pienda omnia tela primis in ordinibus „ locat. Suos vel nullo modo producit in „ aciem, vel post terga Jesuitarum pro„ tegit.

Quid ais, Noceti? Jesuitae facti sunt Dominicanorum discipuli? Nosti quae sint leges, quas imponunt Dominicani discipulis suis: in his quae pertinent ad divinam gratiam, sequendos esse Augustinum, & Thomam Aquinatem:

deinde in Theologia Morali eumdem Thomam nunquam dimitti oportere: pari diligentia Albertum Magnum, Raymundum, Antoninum legi posse; sed Sotum, Gonetum, Medinam, Bannesium, Victoriam, & alios ita, ut ubi erraront, facile relinquantur: numquam pro errore ne suorum quidem pugnandum: probabilismum omnino vitandum. Ecquis igitur tuos Lessios, Sanchesios, Baunios, Gobatos coegit, ut si quid erat in Medina, vel in Bannesio falsum, aut minus rationi consentaneum, avide arriperent? Casuistarum scilicet opera factum est, ut quod erat unius, vel alterius error, & nemini unquam nocuisset, multorum fieret opinio, & ope probabilismi serperet ad eos, a quibus fuisset perpetuo ignoratum. Propterea Alexander VII. probabilistas eo nomine accusat, quod non solum novas opiniones invenerint, sed etiam antiquatas revocaverint: quae si relictae fuissent in libris auctorum, ut tum primum, cum ab iis profectae sunt, ab omnibus relictae fuerunt, nullum periculum fuisset, ne aliquam perniciem afferrent; ut nunquam antea attulerant, donec a novis Casuistis diligenter conquisitae,

sitae, & novis rationibus confirmatae, *probabiles* appellari coeperunt. Itaque injuria postulas, ut, cum de aliqua hujusmodi opinione tractatur, secundum Dominicanos Jesuitae oppugnentur, propterea quod hi eorum fuerint discipuli. Nam illi ejusmodi suorum opiniones nunquam probarunt, libenterque obsolescere siverunt; & si de unaquaque Soti, Bannesii, Medinae quaerere volueris, invenies eam ad plures externos, quam Dominicanos manasse. Itaq;hae opiniones non amplius Dominicanorum sunt. Quid ita? Quia quas quisque tuetur, & saepe monitus non exuit opiniones, is suas esse declarat: contra ejus dici non possunt, qui eas non probat, qui refellit, qui errores, non opiniones appellat.

XXXVI. Cum haec scribebam libri duo in manus meas pervenerunt, qui ad rem, qua de agimus, maxime pertinent. Unus est Epistolarum, quas recens vulgavit Eusebius Eranistes. In his nonnullae sunt, quae pertinent ad defensionem Dominicanorum, quos saepe in subsidium suarum opinionum a novis Casuistis accersitos fuisse constat, vel quibus eae, quae damnatae sunt, a Guimenio, Viva, & aliis

fue-

fuerant attributae. Fac igitur, ut has legas Epiſtolas; nam ſpero fore, ut facile tibi perſuadeas, non multas eſſe ejuſmodi opiniones, quas *a Dominicanis magiſtris Jeſuitae diſcipuli didicerunt*. Intelliges etiam, potuiſſe me Dominicanorum, qui a te quoque appellantur, defenſionem omittere, quam quidem ab hoc viro diligentiſſimo, ut indicavi ſuperiore Epiſtola pag. 36., ſuſceptum iri confiderem. Licet enim is Cardenam, Vivam, & Gagnam imprimis confutet, te tamen ab iſtis, quae de Dominicanis ſcripſiſti, accepiſſe fere non dubito.

Alter eſt liber tua illa *veritas vindicata* rurſus Romae edita, cuique reſponſio adjuncta eſt ad meam priorem Epiſtolam. In ea nihil offendi, quod nunc egeat reſponſione. In id incumbo, ut *veritatem vindicatam* Lucae editam, & magna diligentia, ut ex multorum ad me litteris intelligo, ubique diſſeminatam confutem. Haec Concinam malae fidei impoſturaeque arguit, haec de *Chriſtianae Theologiae* auctoritate detrahit; haec mihi, qui utrique malo occurrendum putavi, confutanda eſt; neque patiar, ut quiſquam me reſpondendo, oppugnando, aut quae olim

olim ſcripſi, apud grammaticos criminando, a ſuſcepto opere deducat. Poſtquam id perfecero, confutationes tuas expendam, & quid mihi erit opus facto conſiderabo. Unum tibi nunc praedico, ne in Epiſtolis meis, ſi deinceps reſpondendum putabis, pleraque diſſimules, tibique plaudas, me tibi non objicere, quae ſaepe & luculenter objicio. Gratularis enim tibi in praefatione confutationis, quod in priore Epiſtola mea, *ex tam multis auctorum locis*, *quae in* tuo *libro leguntur ne unum quidem* indicarim, *qui* abs te *ſinceriſſime relatus non eſſet*. Haec ſane lectoribus non probabis. Erunt enim permulti, qui lecta mea priore Epiſtola, facile perſpicient, me pluribus locis, ſed praeſertim p.41. & 63. mihi non defuiſſe, quin, quae male abs te diminuteque deſcripta eſſent, indicarem. Iidem intelligent, te nimis propere tibi hac de re gratulatum eſſe, propterea quod non eſſent a me omnes ejuſmodi loci, quos abs te corrupte relatos eſſe liqueret, in illa priore Epiſtola deſcribendi; ſed, ut forte quiſque occurreret, & cum de Auctore, ad quos pertinerent, ageretur, indicandi. Quod quidem in hac ipſa,

quam

quam nunc ad te ſcribo, Epiſtola perfeci, tibique, quae minus accurate retuliſti, diligenter ob oculos poſui.

Sed jam ſatis harum litterarum magnitudo crevit, in quibus, ut in iis, quas primo ad te miſi, idcirco omnibus, quae opponeres, prolixe reſpondi, ne deinceps, cum aliquid ſimile occurreret, occurret autem ſaepe, neceſſe eſſet eadem repetere: ſed praeſertim, ut intelligeres, non ſolum recte, ſed etiam copioſe accuſationes tuas poſſe refelli; nihilque abs te, quod minus tibi, tuorumque cauſae conveniret, dici potuiſſe, quam quod in extremo libello ſcripſiſti. „ Ad hanc „ vero opellam conſueta diverticula, „ mordaces declamationes, ſcommata, „ ultrices ſatyras, quas ipſe appellat „ Plautinos Sales, *expecto*. Reſponſio- „ nes ad rem; reſponſiones nimirum, qui- „ bus ſuperiora capita percurrendo do- „ ceat, quod nam ſit, inquo modo plus, mo- „ do minus a bona fide non defecerit, *non* „ *expecto*. „ Nam evenit, utquod expectabas, non habueris; quod non expectabas, inveneris. Declamationes enim, ſatyrae, ſcommata Concinae (ut tibi loqui placet) conſueta a me profecta non

ſunt:

ſunt : an autem reſponſa profecta ſint, quibus Concinam ſemper uſum eſſe bona fide, ac diligentia, teque in eo accuſando lapſum eſſe, aperte demonſtrarim, Lectorum erit judicium. Tu vero ſic habeto: me, qui veritatis, & *Theologiae Chriſtianae* tuendae cauſa ſcriptionem hanc ſuſceperim, meque optima jam in cauſſa verſari intelligam, ita & velle, & poſſe agere, ut neque injuriam tibi ullam faciam, neque oblivifcar officii, & dignitatis meae. Vale.



ER-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 20. linea 23. pag. 311. Bibliothecae	pag.211. Bibliothecae
Pag. 57. lin. 8. Probabilissimi	Probabilismi
Pag. 59. lin. 21. cumularis	cumulabis
Pag. 62. lin. 10. Tu ipse eorum sententiae	Tu ipse Concinae sententiae
Pag. 65. lin. 13. Salmaticensibus , Salonio , Sporerio	Salmanticensibus , Sporerio
In prima Epistola pag. 91. lin. 21. parvi referre.	parvi referre existimare.